



Sadebeck

De montium
inter vistorium

2K
295
.S29





DE
MONTIUM INTER VISTRITIUM ET NISSAM
FLUVIOS SITORUM FLORA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS BOTANICA
QUAM SCRIPSIT
ET
GRATIOSI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESENDOS
DIE XII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIV
HORA XI.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
RICHARD SADEBECK,
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
H. ZIMMERMANN, CAND. PHILOS.
R. v. UECHTRITZ, CAND. PHILOS.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI

529

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, PRAECLARISSIMO

HENRICO ROBERTO GOEPPERT,

MED., CHIR. ET PHIL. DOCTORI, UNIVERS. VIADRINAE
VRATISLAV. PROF. P.O., COLLEGII SUMMI AD MED. PHARM.
ETC. OMNIS ORD. EXAMINANDOS DIRECTORI, AUGU-
STISSIMO BORUSSORUM REGI IN SUPREMO SILESIAE RE-
GIMINE RERUM MED. A CONSILIIS INTIMIS, PERMULTARUM
LITTERARUM SOCIETATUM DIRECTORI ET SODALI, OR-
DINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI ETC. ETC.,

PRAECEPTORI ET FAUTORI DILECTISSIMO

**EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE SEMPER
VENERANDO**

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUOTOR.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN.

De montium natura universa.

De finibus, distributione, situ geographico. Montes inter flumina Vistritium et Nissam siti, qui finis est inter Silesiam et comitatum Glaciensem septentrionem versus flumine Vistritio a montibus Waldenburgiensibus sejunguntur, orientem versus valle fluviorum „Peile“ et „Pausebach“ a monte Zobtensi et a montibus Nimitiensibus, meridiem versus alto sulco fluminis Nissae a montibus Glaciensisbus et iis, qui nomen trahunt ab oppido „Reichenstein“, occasum versus fluviis „Steine“ et „Walditz“ a montibus „Heuscheuer“ et Braunudensibus. Fines igitur sunt haec flumina: Vistritus, Peile, Pausebach, Nissa, Steine, Walditz.

Dividuntur montes nostri in tres partes, unam principalem et duas minores, quarum altera orientem versus illius partis principalis sita est, altera occasum v. Partis principalis finis septentrionem v. porrigitur a fontibus fluvii Vistritii, qui sunt ad montem „Rumpelbrunn“, usque ad eum locum cursus, quo fluvius in planitatem Suidnicensem intrat. Deinde finis recta linea pertinet ab occasu solstitiali ad orientem brumalem secundum valles, quae nomina ceperunt a pagis „Weigelsdorf“ et „Briesnitz“, usque ad Nissam fluvium montes prope Wartham perrumpentem, quem fluvium comitatur ad pagum „Gabersdorf“. Ibi illa via omissa finis se vertit sub angulo paene recto ad occasum solstitialem, primumque currit secundum rivos, qui nomina ducunt a pagis „Gabersdorf“ et

„Rothwaltersdorf“. Dein pervadit per valles, quibus vici „Neudorf“ et „Hausdorf“ nomina indiderunt, usque ad radices montis „Neumansberg“, unde plane occasum versus, quam eandem viam habet vallis pagorum „Falkenberg-Rudolphswalde“ usque ad fontes Vistritii fluvii se porrigit.

Restat nunc, ut fines illarum partium minorum definiam, quod, quum descripserim satis accurate partem principalem paucis tantum egere facile intelligitur. Pars enim altera occidentalis septentrionem et orientem versus terminatur parte principali, fines autem, qui meridiem et occidentem versus sunt, jam eo, quod de finibus totius territorii diximus, satis explanati sunt. Quo eodem modo fines partis alterius occidentalis jam definiti sunt septentrionem, occidentem et meridiem versus, parte principali orientem v. vicina.

Totum territorium tendit a $50^{\circ} 53' 7$ usque ad $50^{\circ} 28'$ latitudinis septentrionalis et a $34^{\circ} 19'$ usque ad $34^{\circ} 34'.5$ longitudinis orientalis. Dimetiens, quod ad longitudinem 5—6 milliariorum, quod ad latitudinem circiter 3—4 est. Spatium totius territorii circiter est duodecim milliariorum in quadratum.

De territorii orographic a natura. Montes nostri sunt propria pars Sudetorum, quarum continent partem et medium et humiliorem.

Pars montium nostrorum principalis per totam longitudinem suam paene nusquam interrupta jugum praebet plane conspicuum, quod non nisi ad orientem brumalem et ad occidentem solstitialem in plures montium tractus discinditur. Ex quo perspicuum erit, seriem praecipue occurrere in media eademque summa montium parte, inter transitum prope Friedersdorf et angustias prope Silberberg sita; haec est moles. Quae ascendit praeeeps a fine suo maxime boreali, a transitu prope „Friedersdorf“ sito, ad montem „Hohe Eule“, qui quidem 3160 pedes altus summum cacumen montium nostrorum est. Format autem dorsum et extensum et latum, cuius longitudo septingentas decempedes, cuius latitudo quinquaginta circiter habet¹⁾.

¹⁾ Prudlo's Bergaussichten, pag. 137: „Dieser hohe Berg von Gneus hat mit dem Glätscher Schneeberge das gemein, dass man

Orientem brumalem versus montium tractus leniter declivis fertur ad „Reimswiese“ (2540'), unde iterum surgit ad cacumina, ad culmem montis „Reimsberg“ (2850') et ad dorsum parum latum montis „Sonnenberg¹⁾“. Hoc loco maxime proclive descendit mons ad sulcum quendam, ut hoc termino utor, qui vocatur ab accolis „Hausdorfer Plänel“ et altitudinem habet 2400 pedum. Sed omnino non jam pervenit mons noster ad altitudinem talem, quam antea descriptsimus. Tum jugum fertur uno tenore, via priori non neglecta, ad montes „Ascherkoppe“ (2647') „Hohenstein“ (2614') „Hahnkoppe“ (2416') „Strohhaube“ (2300'), postremum ad castellum illud nunc desertum „Silberberg“, cuius summus locus 2112 pedes habet, unde satis proclivis defertur ad angustias, quae nomen trahunt ab illo castello. Cujus partis, quae eadem dorsiformam retinet, altitudo, si ad jugum spectamus, 2500 usque ad 2600 pedum est.

Moles igitur haec, quoniam medium locum partis principalis obtinet, secernit inter se alas, unam orientem brumalem v., alteram occidentem solstitialem versus sitam. Quae utraque post secessum a mole speciem negligit illam, quam parti modo descriptae inhaesisse et propriam fuisse deprehendimus; i. e. speciem seriei, ut ita dicam. Nam jugum, quod per totam molem invenimus, in his alis in plura juga dividitur radiorum instar, quae separatim ad septentrionem in fluvium Vistritium, ad meridiem in Nissam fluvium magis minusve decliviter deferuntur. In horum jugorum numero est memoratu dignum, quod alam occi-

mitten auf demselben nicht viel mehr sieht, als die Oberfläche desselben und den Himmel.“ Quam comparationem prius quidem facere lieuit, quia hic mons per tempus quoddam erat nudus arboribus, nunc vero densus pinis est usque ad summum verticem. — In alia descriptione Sudetorum comparatio fit hujus montis cum tumulo.

¹⁾ Mons „Sonnenberg“ constat e duobus verticibus, altero „Sonnenkoppe“, qui altus circiter 2930' pratulum veluti et herbosum et fertile praebet, altero „Kuhberg“ sive „Thurnberg“, qui 2970' altus prorsus densus est. Inter quos in ipso jugo plura saxa magna sunt exstructa, quindecim pedes circiter alta, quae vocant „Sonnenstein“, e quibus fruinur prospectu ad utramque partem, et ad Silesiam et ad comitatum Glaciensem.

dentem solstitialem versus sitam attinet, montium tractus, qui circiter duo millaria longus incipit a monte illo insigni „Neumannsberg“ (2646'). Dein porrigitur ille tractus ad montem „Güntherberg“ (2214'), qui speciem quasi planitiei p[re]ae se fert et latitudinem octavae millariae partis habet, quem sequitur dorsum illud montis „Wolfsberg“ (2380'), unum circiter milliarium longi, unde declivis se vertit prope pagum „Erlenbusch“ (1173') ad fluvium Vistrition. Ad eandem alam pertinet alias montium tractus, magis ad orientem situs, quam ille, de quo modo diximus; qui montes „Friedersdorfer Berg“ (2350') „grosser Hahn“ (2221' trig. Δ) et eos, qui a pago „Leutmannsdorf“ nomen ceperunt, continent et prope vicum „Ob. Weistritz“ (927') in Vistrition flumen descendit. In altera autem ala eminent p[re]ae ceteris montibus duo tractus propter montium suorum altitudinem, quorum uterque incipit a monte prope Silberberg sito, cui nomen imponunt propter ejus formam „Spitzberg“ (2006'): alter est magnum montis „Tannatberg“ (2280') jugum alter constat e culminibus montium „Riedelsberg“ (2240') et Hopprich (2100').

Pars occidentalis, sive terra montana illa, quae nomen trahit ab urbe „Neurode“ (Neuroder Bergland), quae sita est ad septentrionem, paribus intervallis remota a parte principali paene continuis montium tractibus se porrigit. Septentrionem versus ascendit ad montem „Grundberg“ (2114'), qui occidentem versus satis declivis defertur ad vallem rivi „Walditz“, meridiem versus autem circiter dimidiam millarii partem longus usque ad oppidum „Neurode“ (1182') aequabiliter et leniter descendit. Montes vero in parte meridionali siti pluribus rivis interrumpuntur. Quo modo cacumina inter se disjuncta exstant montium „Annaberg“ (1894), „Schlegelberg“ (1960), „Wolfsberg“ (1907), quorum excursus satis leniter in vallem fluvii „Steine“ (998' prope pagum „Scharfeneck“) descendunt.

Pars orientalis montium constat ex duobus collium tractibus, qui a parte principali paribus paene intervallis distantes per vallem aquae, quae a pago „Weigelsdorf“ nomen traxit, et rivi „Pausebach“ in duas partes dividuntur. Quarum pars septentrionalis sive

colles, quibus pagus „Habendorf“ nomen indidit, constat e serie, quae plus quam unum milliarium longa a septentrione ad meridiem se extendit, et a montibus „Herleberg“ (1401') „Langenberg“ (1508') „Rosenberge“, „Wenzelkoppe“ (1460') composita est. Orientem versus emittit excursus, quorum finis est mons „Kleutschberg“ (1330).

Pars meridionalis sive colles Grochavienses continent montem „Harteberg“ et eos, qui nomina ceperunt a pagis Grochava et „Baumgarten.“ Et mons „Harteberg“, qui plus quam 1500 pedes altus est, efficit dorsum, quod angustissimum per octavam partem milliarrii extendit; mons autem Grochaviensis et ii, qui prope pagum „Baumgarten“ siti sunt, coni formae similitudinem magis minusve habent. Qui omnes seriem formant, quae via orientem v. relict a angulo acuto occidenten brumalem v. ad Nissae fluvii ripas tendit.

De territorii natura hydrographica. Flumina hujus territorii sunt parvi momenti, quoniam in hoc paucae tantum valles in longitudinem se porrigunt, cuius generis valles in mole, quam supra diximus non occurunt; tum demum in parte principali inveniuntur, ubi jugum in plura minora juga discessit, id est in utraque ala. Sie igitur in ala septentrionali vallis est, qua majores paucae omnino inveniuntur in territorio, in qua pagus „Wüstewaltersdorf“ situs nomen indidit et longitudinem sesquimilliarrii habet. Quam vallem a monte „Neumannsberg“ incipientem aqua percurrit, quae prope „Falkenberg“ vicum orta defluit ex altitudine 2200 pedum et apud „Hausdorf“ pagum in Weistritz fluvium (1175') se fundit. Ejus modi valles in ala quoque meridionali occurunt, quarum „Höllenthal,“ quam vocant, maxima monte „Tannatberg“ alia ex parte, altera ex parte montibus „Riedelsberg“ et „Hopprich“ concluditur. Quam vallem pervadit rivus „Höllenbach,“ qui ad montem „Karlsberg“ prope pagum „Herzogswalde“ in loco alto 1700 pedes ortus apud „Gabersdorf“ (815') in Nissam fluvium fertur.

In mole autem valles in transversum porriguntur, quarum praecipue ea notanda est, quae nomen a „Steinseifersdorf“ pago sumit, et inciens a monte ipso altissimo „Hohe Eule“ unum fere milliarum longa ad

orientem se extendit. Eodem ex loco „Klaunitzbach“ rivulus profluit et vallem percurrit, qui relicto pago „Kaschbach“ supra vicum „Steinseifersdorf“ quindem pedes desilit (quae aquae desilentes vocantur „Eulfall“). Ubi vero exiit ex valle (1084') septentriōnem v. se vertit et prope „Jacobsdorf“ in fluvium „Peile“ influit. Paribus hac vallo intervallis aliae breviores valles distant, quae promontoriis e molis jugo prominentibus terminantur, ut valles „Steinkunzendorfer Thal“ „Tiefengrund“, „Neubielaer Thal“ et multae aliae: quae omnes emittunt rivulos ad flumen „Peile“ descendentes. Valles vero non nisi in parte orientali molis inveniuntur, quae ibi nonnullis paucis montibus adhaerentibus in planum descendit, in parte occidentali omnino non, ubi jugum montibus fere nullis obstantibus defertur. Sed ex hac parte praecipitant multi rivi et volvuntur saepe plus quam unum milliarium per regionem, quae vocatur „Neuroder Bergland“, ut se immisceant flumini „Steine.“ Quo fit, ut nonnullae valles majores occurant, veluti eae, quae nomina trahunt a pagis „Rothwaltersdorf“ et „Schlegel.“ Denique deprehendimus in parte orientali vallem, in qua pagi „Lampersdorf“ et „Weigelsdorf“ siti sunt, non parvam, qua de causa flumen quoque majus nobis obvenit. Haec a parte orientali collibus illis, qui a pago „Habendorf“ nomina ceperunt, determinatur, occidentem versus moli adhaeret, aliis ex partibus non concluditur. In qua accrescit aqua, quae via duorum milliariorum emensa prope urbem Francosteinam cum fluvio „Pause“ se conjungit. Hic quoque fluvius percurrit partem orientalem, qui quamquam originem habet in parte principali (supra Herzogswalde apud oppidum Silberberg) mox relieta valle ea, in qua sita est Herzogswalde, perpetuo orientem versus fluit ad urbem Francosteinam, unde meridiem versus ad Nissam fluvium currit: quomodo totius regni finem, qui est ad orientem brumalem, componit.

Magnae vero valles in longitudinem porrectae, in quibus majora gigni flumina satis eluceat, sunt in finibus demum territorii. Earum maxima et amoenitate celeberrima tria paene millaria in longitudinem patet vallis Vistritii fluvii, qui ad „Rumpelbrunn“ montem

(1682 p. P.) supra „Wüstegiersdorf“ ortus per vallem descendit (qui descensus unius pedis est pro quinque et sexaginta pedibus) et intrat apud Burkersdorf (alveus aquae altus est 700^c) in campum Suidnicensem. Quae praeterea valles ampliae fluvii „Steine“ et „Nissae“ sunt, per breve spatium tantum finem territorii designant. At vero secundum finem orientalem paene totum territorii fluvius „Peile“ apud „Kleutsch“ ortus fluit per quattuor prope millaria; quo accedit, ut plane diversam speciem praebeat ab aliis fluminibus, quae territoriorum spargunt. Nec enim per angusta eluctatur sicuti Vistritus, neque perluit per valles amplas et profundas ita, ut fluvii „Nissa“, „Steine“ cet.; sed collibus haudquaquam inclusus tarde fluit ad Vistritium, in quem prope Nitschendorf se effundit.

Hae omnes aquae pertinent ad Viadrum flumen, quia partim influunt in fluvios cum Viadro conjunctos, partim ipsae in Viadrum descendunt; ex quo elucet, illas aquas pertinere quoque ad mare Suevicum.

Lacubus caret omnino territorium, neque stagnis abundat, quorum maxima sunt apud „Peiskersdorf“ et „Peilau,“ cuius posterioris loci stagnum (Grossteich) 117000 decempedes in quadratum patet.

D e c o e l o. Non dubium est, quin coelum praecepsueque calor maximam habeant vim ad incrementum plantarum. Itaque opus est, in quaue botanico-geographica commentatione rationem haberi caloris, de quo, quod parum constat in montibus nostris dolamus. Nam de uno tantum territorii loco, oppido „Neurode,“ quod situm est ad fines occidentales, observationes nobis praesto sunt, de alio vero loco, pago „Lampersdorf“ parum observatum est. Quod autem de locis territorio vicinis, ut Kl. Kniegnitz, Reichenstein, Glatz (a finibus territorii absunt nondum duo millaria) satis accuratae caloris observationes factae sunt, eas hoc loco attuli, quoniam certe ad cognitionem caloris nostri territorii aliquid conferunt. Plura et uberiora in libro illo, qui coelum silesiacum explicat^{*)}, invenimus de his locis aequae ac de „Neu-

^{*)} Grundzüge der schlesischen Klimatologie, von Dr. J. G. Galle, Director der Sternwarte cet. Breslau 1857. (Herausgegeben auf Kosten der schlesischen Gesellschaft für vaterländische Kultur).

rode "oppido. Eae autem observationes, quae in annis 1836—40 in pago „Lampersdorf“ factae sunt, in librum illum, quem modo memoravi, non receptae sunt, quod, quum non perpetuae sunt, tum perpaucos tantum annos amplectuntur. Ut vero nihil omitterem, quod utile esset ad explorandam hanc rem, ego computavi observationes, id quod nunc exhibeo.

„Lampersdorf“ (1063.8')

1836	Aug.	+	13.7	(1837)	+	13.7
	Sept.	+	10.4	(1840)	+	11.4
	Octbr.	+	7.9			
	Nov.	+	0.7			
	Dec.	-	0.7			
1837	Jan.	-	1.5			
	Febr.	-	2.3			
	März	-	0.6			
	April	+	4.3			
	Mai	+	8.3			
	Juni	+	12.5			
	Juli	+	11.9			

Medius numerus: + 5°.2 R.

Nunc si conferimus (vide: schles. Klimatologie) medium calorem locorum vicinorum, qui per hoc tempus fuit, cum medio calore, quem per unum annum esse constat, cognoscimus, hunc illo majorem esse 0.5°—0.° 6 R. Itaque ad veritatem proxime accedemus, si ponemus pago „Lampersdorf“ medium calorem + 5.7 R. esse.

Calor aliorum locorum, quos supra citavi, secundum illum librum modo memoratum est hic:

	t. veris	t. aestatis	t. autumni	t. hiem.	per tot. ann
Neurode (1184')	+ 4.57	+ 11.99	+ 5.49	- 2.94	+ 4.78
Kl.-Kniegnitz (613')	+ 6.24	+ 13.89	+ 6.83	- 1.62	+ 6.33
Glatz (963')	+ 5.02	+ 13.25	+ 6.59	- 1.78	+ 5.77
Reichenstein (1128')	+ 5.22	+ 13.23	+ 7.05	- 1.93	+ 5.89

Inde sequitur, ut jure statuere possimus territorii annum calorem: 5°.8 R. sive 7°.2 Cels. Linea igitur, quae vocatur „Isotherme“ hos locos tangit:

Kinfauns Castle (Scotiae)	+	7.1	Cels (56° 24' lat. sept.)	
Ulvensang (Norweg. occid)	+	7.2	— (60° 19'	—
Lund	+	7.2	— (55° 42'	—
Braunsberg (Borussiae) ..	+	7.2	— (54° 23'	—
Montes nostros	+	7.2	— (50° 40'	—
Varsoviam	+	7.5	— (52° 13'	—

A Varsovia tendit linea orientem versus usque ad paludem Oxianum, ut Berghausii tabula indicat, et quum se vertit a Scotia septentrionem versus supra Orcades insulas, quarum calor medius + 8.0 Cels. est, tum inter insulas „Shetland“ et „Faroer“ ad occasum solis vergit.

Lineae vero, quae dicuntur „Isochimene“ et „Isothere“ plane aliam viam habent. Statuentibus nobis medium frigus esse — 1.6 — — 1.8 Cel., quod hie-nus frigus etiam totius Silesiae sit, haec loca occur-runt a linea „Isochimene“ percursa:

Reikiavik (Island) . . .	—	1.6 (64° 8' lat. sept.)		
Lund (Sueviae) . . .	—	1.7 (55° 42')	—	
Braunsberg (Borussiae)	—	1.6 (54° 23')	—	
Zillau (Saxoniae) . . .	—	1.7 (50° 54')	—	
Montes nostri	—	1.7 (50° 40')	—	

Inde transit in Galliciam, Moldaviam usque ad Chersonesum tauricam.

Multo vero magis discrepat linea „Isothere“ a linea „Isotherme“, quam si ponimus medium aestatis calorem: + 13°.6 R. sive + 17°.1 C., qui est quoque totius Silesiae, haec loca designant:

Gosport (Britanniae) . . +	17.1	(50° 48' lat. sept.)		
Londinium . . . , . +	17.1	(51° 31')	—	
Lugdunum Batavorum . +	17.2	(52° 10')	—	
Harlem (Bataviae) . . +	17.0	(53° 5')	—	
Cuxhaven +	17.2	(53° 53')	—	
Bremen +	17.2	(53° 15')	—	
Lueneburg +	17.2	(53° 15')	—	
Hamburg +	17.1	(53° 29')	—	
Kopenhagen +	17.2	(55° 41')	—	
Halle +	17.1	(51° 31')	—	
Dresden +	17.2	(51° 3')	—	
Silesia (Montes nostri) . +	17.1	(— — —)	—	

Unde tendit orientem versus via Wilnae ad oppi-dum rossicum Nischnei Nowgorod, sed paullulum

supra hae loca, et penetrat ad medios montes Uralenses.

Quum autem in propagandis plantis maxime intersit, reperire, quod summum frigus et calorem perpeti debeant, hoc utrumque nunc referam:

	Medium minimum.	Medium maximum.
Neurode	— 17 . 6 R	+ 23 . 9 R
Kl.-Kniegnitz . . .	— 15 . 4 „	+ 23 . 7 „
Glatz	— 15 . 9 „	+ 23 . 9 „
Reichenstein . . .	— 15 . 8 „	+ 23 . 1 „

	verum minimum.	verum maximum.
Neurode	— 26 . 0 R	+ 27 . 0 R
Kl.-Kniegnitz	— 23 . 5 „	+ 25 . 7 „
Glatz	— 25 . 0 „	+ 26 . 1 „
Reichenstein	— 20 . 8 „	+ 26 . 8 „

Praeterea nonnullorum fontium, qualis sit calor, in ipsis montibus a me anno 1860 observatum est, quod, quamquam ex eo nihil certi colligere volo de medio calore anni vel soli, nunc afferam:

Kalter Brunnen (2542 p. P.) infra montem „Sonnenberg“; + 5.0 R aëris cal; + 13.5 R

Qui fons sub ipsum cacumen montis „Sonnenkoppe“ est (circa centum pedes) in parte occidentali:

Grenzbrunnen (2800 p. P.) in parte septentrionali montis „Höhe Eule“:

+ 4.5 R aëris cal: + 14.0 R
De humore denique, i. e. de quantitate imbrium

ex locis territorii ipsius et vicinis non nisi in oppido „Neurode“ et in pago „Kl.-Kniegnitz“ observatum est. Quo posteriore loco copia imbrum quotannis est 279'.'.1, in oppido „Neurode“ 342'.'.45, quae usque adhuc observata est maxima in Silesia.

Minima copia imbruum est in oppido „Polnisch-Wartenberg“ observatum. Nam media copia undecim annorum est: 137''.8, ergo 204''.5 minus, quam in oppido „Neurode“. — (Schles. Klimatol. pag. 103.)

Viarum ventorum autem observationes nullo territorii loco factae sunt.

De territorii natura geognostica. Hoc loco tantum opus erit, referre, quale et quantum sit funda-

mentum geognosticum. De qua re accuratius scripsit ill. Göppert in opere illo suo clarissimo „de flora fossili formationis transitionis“ et indicat tabula geognostica Silesiae montium a viris ill. Rose, Bayrich, Runge edita.

Paene dimidia pars areae territorii constat ex montibus crystallinis (Krystallinisches Gebirge), quum pateant plus quinque millaria in quadratum. Qua paene omnes e gneo compositi amplectuntur magnam molem, quae quum format tractum principalem montium a fluvio Vistratio usque ad angustias prope „Silberberg“ sitas, orientem versus singulis excursoribus, septentrionem versus uno tenore longe ultra fines territorii tendit. Sed praecipue in parte orientali gneus compluries interciditur, nam prope „Langenbielau“ et prope „Weigelsdorf“ compluribus locis lapis, qui „Hornblendeschiefer“ nominatur, excipit, prope „Lampersdorf“ et „Löwenstein“ ampla multitudine syenitae demovetur. Sed quoque in parte principali nonnullis locis gneum intercismum videmus, ut apud „Steinseifeldorf“, „Kaschbach“, „Wüstewaltersdorf“, „Kaltwasser“ rubro porphyrite, qui paullulum tantum exstat, quum efficiat plerumque parva culmina. Simili modo parvum spatium occupat Gabbro et lapis Serpentinus, qui iidem singulis locis, ut prope „Weistritz“, „Neugericth“, „Steinseifeldorf“, „Köpprich“ gneum perrumpunt; nam excepto monte „Eisenkoppe“ apud „Köpprich“ non plus quam jugeri magnitudinem excedit. Magis autem intermittit gneus prope „Steinkunzendorf“, „Wüstewaltersdorf“, „Friedersdorf“, ubi formatio devonica super gneum exstructa est. Quae intermissiones, si comparamus cum toto spatio, quod gneus percurrit, tam parvae sunt, ut magnam gnei molem continuam hoc loco esse jure statuere possimus. Haec occidentem et meridiem versus tegitur per duas partes transformationis devonicae, altera incipiens a monte Neumannsberg per vallem pagi Hausdorf usque ad montem „Leerberg“ se extendit, altera patet ab oppido „Silberberg“ ad „Ebersdorf“. Utrumque cohaeret cum montibus calcareis, in quibus, quod obveniunt Spirifer striatus, Producti horridus, giganteus cet., ex Trilobitis Philippsia, eos esse calcem carbonariam et in nu-

mero habendos esse formationis carbonis appareat. Verum anthracem (Productives Steinkohlengebirge) invenimus in parte occidentali formationis devonicae, ubi omnino occurrimus parti meridionali magni anthracis alvei Waldenburgiensis. Constat ex irregulariter compositis arenosis et argillosis ordinibus, qui posteriores ordines strata semper comitantur et insignes sunt multis plantarum fossilibus reliquiis, ut Filicibus, Sigillariis, Equisetaceis, Lycopodiaceis cet; quae multis locis obviam fiunt. Maximi vero momenti sunt in territorio nostro ad cognitionem florae fossilis ordines arenarii, qui prope pagum „Hausdorf“ silvam reliquiarum truncorum servant, quarum scientiam praecipue viro ill. Göppert debemus.

Juxta formationem illam occidentem versus schistus ruber jacet, qui cum creta totum alveum explet. Sed quatenus ad montes nostros pertinet, non ubique continuam molem exhibet, plus milliarium longo et paene quartam milliarii partem lato saxi „Gabbro“ tractu magno inter pagum „Volpersdorf“ et „Rothwaltersdorf“ interposito; quem excipit lapis serpentinus apud Volpersdorf, quamquam se porrigit minus per spatium. Prope „Ebersdorf“ illum schistum per porphyriten perruptum videmus, prope Rothwaltersdorf per Melaphyriten, quorum uterque parvo limite e terra exstat. Isdem locis schisto jacenti montes calcarei immixti sunt, qui quum Clymenias et Goniatitas in se contineant, in formatione devonica ponendi sunt.

Ad meridiem schistus jacens montibus crystallinis terminatur, qui constant ex illo genere lapidis fissilis, quod vocamus Urthonschiefer, et ex eo genere, quod vocatur Horublendeschiefer: illud, quum ab oppido Glatz septentrionem v. usque ad Eckersdorf et Rothwaltersdorf se exstendat, quartam partem milliarii in quadratum occupat, hoc, quod ab illo prope Möhlten et Schwentz terminatur et occidentem versus usque ad medium pagum „Steine“ patet, fluvio „Steine“ a meridie vicino, non minus spatium habet. In utroque genere, crebrius vero in illo interdum calx dolomitica invenitur.

Pars principalis inter oppida Silberberg et Wartha ampla formatione transitionis, cui a Wartha oppido

nomen indidit ill. Bayrich, exstructa est, prope pagos vero Herzogswalde et Wiltsch formatio nobis occurrit, quam, quum in ea Graptolithi (Graptolithus Priodou cet.) inveniantur, siluricam esse appetet. Ad orientem partis principalis satis ampli montes saxo „Gabbro“ et Serpentino prope Grachovam exstructi sunt, qui per quartam circiter milliarii partem in quadratum se porringtonunt, cuius plus dimidium Serpentinus occupat.

His adjungitur series collium, qui iidem Serpentinum continent et se extendunt usque ad montem Zobtensem: quem quum eandem structuram geognosticam habeat, illa serie cum montibus nostris conjungi, manifestum est.

In iisdem locis formatio tertia nobis occurrit, quae a pago Grochova meridiem versus usque ad Riegersdorf patet in longitudinem dimidium milliarii, in latitudinem circiter octavam partem milliarii. Qua formatione territorium non abundat, nam si exceperis modo memoratam et illas multo minores, quae prope Reichenbach et Francosteinam inveniuntur, nullam talem deprehendimus.

Quod denique diluvium appellamus, non nisi in parte orientali territorii appetet et per spatium trium milliariorum in quadratum patet.

De rebus botanicis.

Quamquam montes nostri non tanta cacumina praebeant, ut superiorem finem silvarum assequantur (hunc in Silesia non reperias nisi ascendas ad 3600 pedum) tamen singulos florae gradus discernere possumus. Sed non ubique facile est, eorum fines recte circumscribere, quum eaedem regiones in aliis locis saepe ab alia altitudine incipient et plerumque sic inter se confundantur, ut opera diutius collata in cognoscendam aliquam terram certum judicium efficere possit. Quum autem putavissem, cognitioni non utile esse, in alia commentatione botanica silesiaca alias regiones atque fines statui, rationem habendam esse quam

plurimam duxi eorum, qui antea jam de hac re scripserunt.

Wimmer cl. in libro de flora Silesiae scripto¹⁾ tres regiones esse statuit, unam planitiei: -- 1700', alteram montanam: 1700 -- 3600', tertiam denique alpinam 3600 -- 4930'. Quae distributio satis accurate congruit cum eo, quod Meyen dixit, nos novam floram deprehendere, quotiescumque ascendimus 1900' pedes, ita ut fieri in distributione zonarum²⁾. Attamen hic nobis monendum est, non omnes regiones aequa late patere: sicuti regio Pini Pumilionis Haenke, quae, quin incipiat a 3600' in montibus Silesiae giganteis, non jam dubitatur, summa horum montium cacumina non attingit, sed ascendit tantum ad 4500' circiter; ex quo intelligitur, hanc regionem amplecti zonam vix mille pedum. Hanc autem rem ita esse, invenimus in cacuminibus: „Schneekoppe“, „Hohes Rad“, „Kesselkoppe“, „Brunnenberg“. In Alpibus et in primis in Carpathis idem deprehendimus, quod ibi quoque zona fruticum subalpinorum non plus mille pedes amplectitur.

Plane aliam conditionem praebet pinetum, quod intra fines 1000 -- 3600 pedum (excepta Pinus silvestri, quae tantum ad planitem pertinet) potissimum provenit; ergo zonam 2600 pedum continet. Fruticis autem formam gerens mancam *Pinus Abies* L. usque ad 4800' ascendit. Circiter enim centum pedes de cacumine montis „Schneekoppe“ ad meridiem descendere debemus, ut illam cum *Salice Lapponum* L. deprehendamus, cuius rei explorandae satis occasio mihi erat data, quum per quinque hebdomades anno MDCCCLXIII in cacumine illius montis versarer. Sed in monte „Glätzer Schneeberg“ *Pinus picea* L. arboris formam retinet usque ad plus 4000 pedum (alias tantum usque ad 3000'). Ex quo eluceat, regionem arborum frondentium parvum tantum spatium habere posse, circiter nongentorum pedum; quod fortasse refutare videatur id, quod dixi, pineti regionem usque ad mille pedes deseendere, quoniam constat, in Alpibus, in Bavaria meridionali

¹⁾ Wimmer, Flora von Schlesien. Breslau 1844, pag. 9

²⁾ J. Meyen, Grundriss der Pflanzengeographie.

cet. zonam arborum frondentium plus 1900 pedes comprehendere. At vero notandum est, Silesiam provinciam ex supra memorata botanico-geographica distributione zonarum proprius abesse a fine septentrionali zonae silvae frondosae, quam a meridionali, quod praeter situm geographicum demonstrat, quod medio calori Silesiae, quum hujus zonae calorem 6—12° Cels. esse statuant¹⁾, summum 8° Cels. tribui potest.

Inde quoque intelligi potest, cur in omnibus botanico-geographicis commentationibus de Silesia scriptis superior finis regionis silvae frondosae infra 1900 pedum positus sit²⁾. Fines superiores enim 1900 pedum assequitur haec regio demum, in terris, quae magis ad meridiem vergunt, ut in Austria, in Bavaria meridionali cet. et quanto longius progredimur ad septentrionem eo, magis descendunt, dum silva frondosa raro occurrit, denique plane evanescit; quo magis vero ad meridiem venimus, ad eo altiorem finem ascendit silva frondosa. *Fagus silvatica* L. enim apud Romam non nisi in superioribus montibus provenit, ut in monte „Artemisio“, „Genaro“, in Hispaniae provinciis, in Cantabria, Arragonia, Catalonia, in Pyrenaeis montibus in regione subalpina et alpina tantum³⁾.

Sed ut lineae caloris (i.e. Isotherme, Isochimene, Isothere) paribus intervallis non distant a gradibus latitudinis septentrionalis, ita finis silvarum frondosarum his gradibus non terminatur. Ut *Fagus silvatica*, quae prope Regimontium (qui locus est sub gradu 55. latitudinis septentrionalis) evanescit⁴⁾, occasum solis versus usque ad meridionalem Norwegiae partem et ad Scotiam (Edinburg) progreditur, orientem versus assequitur in Caucasia terra gradum tantum quadragesimum tertium. Addam, quod *Quercus*, quum in Silesia ad montes non ascendit, quos *Fagus silvatica*, multo magis in septentrionem penetrat, quam haec, et

¹⁾ Meyen, Pflanzengeographie. pag. 264.

²⁾ Milde, Die Verbreitung der schlesischen Laubmoose nach den Höhen (Eingegeben bei der K. L. C. D. A. 1861, am 18. April). M. Elsner. Synopsis florae Cervimontanae, dissertatio.

³⁾ Don Mariano del Arno, Mem. acad. de scienc. de Madrid 1861. V. 347.

⁴⁾ Caspary, Ueber die Flora von Preussen, Königsberg 1863.

in gradu sexagesimo demum, quin etiam in Scandina-
via supra hunc gradum, finem habet¹⁾.

Re vera autem pinetum praevalidum, (quod nos dicimus „praevalidum“) incipere ab altitudine 1000—1200 pedum, imprimis montes nostri docent, qui, quum subito surgant e campo Suidnicensi et Reichenbachensi, cuius altitudo summum 1100 pedes assequitur, pinetum praevalidum occurrit, ut praecipue apud pagos, „Peterswaldau“ et „Langenbielau“, ubi hac altitudine planitatem terminari facile unus quisque suis oculis perspicere potest. Aliis vero locis regiones non tam distincte separatas videmus, quam in territorio nostro, quo nullus transitus fit. Itaque eo majore jure illam altitudinem planitiei finem statuere mili videbar, quod aliis in locis, quibus montes, multis promontoriis praemissis, leniter atque paullatim ascendunt. Quae causa fuerit, cur hae regiones in alia commentatione botanica aliter definitae sint, et in inferiore Pini Pumilio-nis fine, ubi montes valde procliviter ad cacumina sur-gunt, omnes jamdudum convenerint. In montibus vero nostris, quamquam supra altitudinem mille pedum silvae frondosae atque continuae occurrunt, tamen non injuria me dicere posse duxi, finem superiorem silvae frondosae praevalidae mille pedes non transgredi, quod, quum rarius obveniunt, tum, si pinetum respicis, pa-rum late patent.

Itaque habemus in montibus nostris duas regiones, quae sunt:

- 1) Regio planitiei (Regio frondea) — 1000',
 - 2) Regio montana (Regio pinea) 1000—3160',
- quas nunc acuratius explicare conabor.

1. Regio planitiei (Regio frondea) — 1000'.

Haec regio, quum parvum altitudinis spatium con-tineat, tum parum in latitudinem patet in nostro terri-torio, quoniam maxima territorii pars plus mille pedes alta est. Orientalis enim tantum pars, campus Suid-nicensis et Francosteiniensis, illam altitudinem non trans-

¹⁾ Berghaus, physikalischer Atlas.

greditur, itaque in describenda hac regione horum locorum tantum ratio habenda est.

Praecipuus locus vel forma vegetationis (Vegetationsform) est ager. Cujus quum solum fertilissimum sit, fructus optimi sunt. Secale Cereale L. et diversae Tritici species imprimis coluntur, quod Triticum praesertim in campo Francosteiniensi magna bonitatis et foecunditatis fama fruitur. Minor est cultura Hordei vulgaris, Avenae sativae et Solani tuberosi.

Plantarum agrestium et arvensium huic regioni propriae sunt hae: Adonis aestivalis, Allium vineale, Camelina silvestris, Cerinthe minor, Delphinium Consolida, Falcaria Rivini, Gagea stenopetala, Herniaria glabra, Holosteum umbellatum, Hypericum humifusum, Hypochaeris glabra, Linaria arvensis, Muscari comosum Mill., Melampyrum arvense, Panicum Crus Galli, Papaver dubium, Polygonum lapathifolium β . agreste, Ranunculus arvensis, Sagina apetala, Saxifraga tridactylites, Silene noctiflora, Veronica hederaefolia, Vicia tenuifolia. Deinde, quamvis nonnullis locis hujus regionis finem superiorem transgredientes, hae species potissimum nominandae: Anchusae arvensis et officinalis, Convolvulus arvensis, Echium vulgare, Euphrasia Odontites, Filagines arvensis et germanica, Galeopsis Ladanum, Synapis arvensis, Trifolium procumbens.

Secundam vegetationis formam exhibet haec prima regio pratum, quod in aliis locis ut prope pagos, „Langenbielau“, „Tarnau“, „Briesnitz“ plus centum jugera se extendit, aliis vero locis aliquanto minus. Irrigantur autem rivis non parvis a montibus descendentibus prope pagos „Langenbielau“ et „Tarnau“; illo loco: rivo „Klinkenbach“, hoc: rivo „Pausebach“.

Item prope „Lampersdorf“ et „Briesnitz“ variis rivis prata videmus perfusa. Qui rivi, quum veris tempore, nive montana liquefacta, aqua abundant, saepissimeque alveum excedant, inundantes praebent pratris humorem idoneum.

Quibus pratis peculiares sunt hae species: Alectrolophus major Rehbch, Carex Davalliana, dioica, elongata, paradoxa, Orchis Morio, Ophioglossum vulgatum, Ranunculus auricomus. Rarius inveniuntur

Iris sibirica et *Barbaraea stricta*, Andr. Ubi vero in locis, in quibus haec prata rivis perfluuntur, fruticeta, potissimum ex *Alno glutinosa*, *Carpino Betulo*, *Rhamno frangula* composita occurunt, ut apud „Briesnitz“, plus minusve crebro exstant: *Aspidium Thelypteris*, *Gladiolus imbricatus*, *Peucedanum palustre*, *Rumex Hydrolapathum*, *Spiraea Ulmaria*, *Thalictrum angustifolium*, *Valeriana officinalis*. In similibus locis prope „Nitschendorf“ *Salix pentandra* L. invenitur.

Praeter hoc genus prati deprehendimus siccum pratum, sed non nisi minora spatia percurrit. Cui generi primae regionis sunt propriae: *Carex glauca*, *Hieracium pratense* Tausch, *Holeus lanatus*, *Medicago sativa* et *lupulina*, *Ononis hircina*, *Polygala comosa*, *Rumex crispus*, *Scorzonera humilis*, *Senecio Jacobaea*, *Silaus pratensis*, *Spiraea filipendula*, *Tragopogon orientalis*, *Trifolium fragiferum*.

Ad declivia sicea, aprica, graminosa, ad viarum limites cet. hae species potissimum se ostendunt: *Avena pubescens*, *Bromus inermis*, *Cerastium semidecandrum*, *Coronilla varia*, *Dipsacus silvestris*, *Jasione montana*, *Malva Alcea*, *Nasturtium silvestre*, *Turritis glabra*, *Verbascum Blattaria*, *Verbasc. Lychnites*, *Euphorbia Esula*, *Artemisia campestris*, *Salvia pratensis*, *Botrychium Lunaria* Sw. Saepe quoque haec graminosa frutices offerunt, qui constant praecipue ex *Evonymo europaea*, *Rhamno Frangula*, *Rubo caesio*, *Rosis canina*, *rubiginosa*, *Pruno spinosa*, *Viburno Opulo*.

Quum autem maxima regionis primae pars agros praebeat, et magnum spatium prata quoque occupent, silvam parum tantum patere intelligitur, quamquam prioribus temporibus silvam praevaluisse varia vestigia docent. Silvae hujus regionis arbores sunt praecipue: *Alnus glutinosa*, *Betula alba*, *Fraxinus excelsior*, *Populus tremula*, *Quercus Robur*, *Quercus pedunculata*, *Tilia parvifolia*, *Ulmus campestris*, cet., quarum *Quercus Robur* extra fines regionis fruticis formam plerumque exhibet, *Quercus pedunculata* vero vix altitudinem 800 pedum transgreditur. Invenimus enim hanc *Quercus* speciem praecipue ad fluviorum Vistritii et „Peile“ ripas, ubi interdum silvas magis

continuas componit. Aliae arbores modo memoratae in secundam regionem invadunt, ut postea jam ostendetur.

E Pini genere se offert imprimis *Pinus silvestris* L, quae apud Grochavam et Habendorf continuas silvas componit, et quum omnino maximas silvas in campo componat, ut in terra ad dextram Viadri ripam sita luculenter elucet, eam arborem ad primam regionem pertinere manifestum est, praesertim quum supra mille pedes rarissime tantum in silvae formam abeat. Quae arbores praeterea occurrunt: *Pinus Abies* L. et *Pinus picea* L. silvae instar vix congreguntur (sc. in prima regione). Ut vero silvam parvum spatium continere vidimus, ita paucissimas herbarum species deprehendimus huic regioni proprias. Quae fere sunt: *Dianthus Armeria*, *Galanthus nivalis*, *Trifolium ochroleucum*, *Carex brizoides*, *Rumex sanguineus*, *Scrophularia vernalis*, *Ranunculus cassubicus*.

Nunc dicamus aliquid de monte „Harteberg“, qui quingentos fere pedes a planicie assurgens, pinis et arboribus frondosis densior est, et ita ut *Pinus silvestris* in declivibus, quae ad meridiem spectant, silvam praecipue contineat, arbores froudosae, quae non semper altius proveniunt in declivibus, quae ad septentrionem vergunt, inveniantur. *Pino Abiete* L. et *picea* L. parum tantum occurrentibus.

Eam autem sententiam, ad quam jam ex eo, quod memoravi, adduci potuimus, ut statueremus, planicie floram hic praecipue occurrere. hic re vera confirmatam atque comprobatam videbimus, ut postea docebimus. Porro vero altitudinem locorum magni momenti esse, ex eo intelligi licet, quod species, ut *Circaea alpina*, *Rosa alpina* cet. hoc loco deprehenduntur, quas praeterea vix in Silesiae planicie invenias. Hic igitur utrique regioni proprias plantas una provenientes invenimus, quo fit, ut dubium sit, utrum hujus loci floram planicie esse. an montanam, statuere debeamus. Hujus autem rei causa in eo sit, quod hic collis aliis locis territorii tectiorem situm habet. Media enim in valle, quae collibus pagi „Habendorf“ a frigidis Boreis, collibus pagorum „Stolz“ et „Protzan“ ab Euris, parte principali ipsa a Zephyris defenditur, et quum meri-

diem versus pateat, calidis Austris aditum praebet, colles nostri se extollunt ad altitudinem, quae quum non ubique superet vicinos montes, illi non plane praesidio carent, quod hi toti valli praebeant. Quae forte est causa, quod hic plures species proveniunt, quae in alio territorio adhuc nondum inventae sunt, quarum plurimas regioni planitiei sive collium inferiorum proprias esse cognovimus. Quae sunt: Anthericum ramosum, Carex montana, Dianthus superbus, Genista germanica, Geranium sanguineum, Hierochloë australis, Orobanche coerulea, Phleum Boehmeri, Peucedanum Oreoselinum, Potentillae alba, opaca, Pyrethrum corymbosum, Pyrola umbellata, Ranunculus nemorosus, Sorbus torminalis (nunquam florens et fructicis tantum formam obtinens) Veronica spicata. Praeterea hae praecipue species inveniuntur, quae in aliis partibus territorii passim et interdum crebrius inveniuntur, sunt enim: Trifolium rubens, Lilium Martagon, Lonicera Xylosteum, Hypericum montanum, Digitalis ambigua, Polygonatum auceps, Melica uniflora, Carex digitata, Carlina acaulis, Gymnadenia conopsea, quas praecipue regioni montanae esse proprias videbimus, deinde: Trifolium alpestre, Verbascum Thapsus, Polygonatum multiflorum, Calamagrostis silvatica, Hypochaeris maculata, Rosa tomentosa, Neottia Nidus avis, Luzula pilosa, Sisymbrium Alliaria, Asperula odorata, Brachypodium pinnatum, Silene nutans, Vicia cassubica, Seseli coloratum, Helianthemum vulgare, Melittis Melissophyllum, Paris quadrifolia, Smilacina bifolia, Pyrola secunda, Hieracium umbellatum etc., quae partim primae partim secundae regioni propriae atque peculiares sunt, et certe duas regiones confundi declarat; quod etiam congruat cum eo, quod diximus, planitiem non transgredi altitudines 1000—1200'; quoniam summum cacumen hujus montis non multum superat altitudinem 1400', et haud quaquam omnes species ad cacumen ascendunt. Addam quoque, rarissimam illam speciem e Lichenum ordine, Stictam linitam, nuper a me inventam esse ad saxa sub ipso hujus montis cacumine constructa.

Praeter has tres formas propter frequentiam et magnitudinem nominare debemus formam in cultae

terrae, ex qua imprimis rudera, muros, tecta cet. complectimur. In quibus hae potissimum enumerae sunt species: Amaranthus Blitum, retroflexus, Atriplex patulum, Ballota nigra, Camelina sativa, Chaerophyllum temulum, Chenopodia hybridum, murale, polyspermum, rubrum, urbicum, vulvaria, Conium maculatum, Cynoglossum officinale, Echinospermum Lappula, Euphorbia Peplus, Hyoscyamus niger. Lappa tomentosa Lam., Leonurus Cardiaca, Malva silvestris, Mercurialis annua, Panicum sanguinale, Parietaria erecta Mk, Polygonum Persicaria, Potentilla anserina, Sisymbrium officinale, Xanthium strumarium, Verbena officinalis.

Multo rarius invenitur arena, quam, quum imprimis ad alluvium pertineat, tantum juxta flumina deprehendimus. Inde patet, paucas tantum plantas arenarias huic formae inesse, quae sunt: Arnoseris pusilla, Dianthus prolifer, Helichrysum arenarium, Herniaria glabra, Scleranthus perennis, Statice Armeria. Praeterea in ripis arenosis et glareosis, quae per totum annum vel per maximam anni partem siccae sunt, invenimus Oenotheram biennem, Silenem Saponariam; non nisi ad Nissae fluvii ripas Arabis arenosa Scop. occurrit.

Uvidam arenam et inundata adamant: Alopecurus geniculatus, Bidens cernua, Calamagrostis Epigeios, Gnaphalium uliginosum, Heleocharis acicularis, Hypericum tetrapterum, Juncus articulatus, Limosella aquatica, Lycopodium inundatum, Lycopus europaeus, Nasturtium palustre, Peplis Portula, Ranunculus sceleratus, Rumex maritimus.

Ripas humidas et fruticosas, ubi Salices purpurea et viminalis interdum occurrunt, amant: Humulus Lupulus, in quo haud raro Cuscuta europaea; deinde: Aster salignus, Carduus crispus, Chaerophyllum bulbosum, Convolvulus sepium, Cucubalus baccifer, Epilobium hirsutum, Geranium palustre. Stagna, fossarum margines et paludes non profundas frequentant: Barbaraea vulgaris, Berula angustifolia, Carices acuta, stricta, vulpina, Epilobium parviflorum, Galium palustre, Hottonia palustris, Juncus glaucus Ehrh. Lythrum Salicaria, Nasturtium amphibium, Polygona amphibium,

Hydropiper, lopathifolium, Ranunculus flammula, Veronicae Anagallis, scutellata.

In profundiore aqua insunt: *Acorus Calamus, Callitricha stagnalis Scop., Carex riparia, Equisetum limosum, Iris pseudacorus, Hydrocharis morsus ranae, Oenanthe Phelandrium, Nuphar luteum, Ranunculus Lingua, Scirpus lacustris, Sium latifolium, Sparganium simplex, Typha latifolia, Potamogeton crispus, natans.*

In fluente aqua praecipue hae species primae regioni propria proveniunt: *Myriophyllum spicatum, Sparganium ramosum. Ex Hydrophytis veris, quae nullam suarum partium perpetuo in aërem emittunt, in ditione nostra perpaucæ offeruntur, quarum, quae omnino quinque sunt, quattuor in hac regione ipsa proveniunt. Sunt enim: Ceratophyllum demersum, Utricularia vulgaris, Lemma gibba L. polyyrrhiza. Lemna minor autem duo millia pedum ascendit ad stagnum illud, quod infra desilientem aquam, quam vocant „Eulfall“, situm est.*

II. Regio montana (pinea) 1000—3160'.

Haec regio, quae amplectitur maximam ditionis partem, occupat plus octo milliaria in quadratum. Ita praecipua silva est, ut aliae formae vegetationis per majora spatia rarius tantum se extendant, saepiusque interspersae exstant. Silva, ut memoravi, praecipue ex pineto constat, quod e Pinis Abiete L. et picea L. componitur. Rarissime Pinum silvestrem videmus silvas componentem, quod si fit, occupat parvum spatium et id quidem in locis inferioribus hujus regionis. Pinum Laricem paene nusquam nisi interspersam invenimus. Silva froudosa, quae circiter nonas tantum centesimas spatii silva consiti habet¹⁾,

1) Quo modo arbores mixtae sunt, accuratius dictum est in descriptione silvae apud pagum „Lampersdorf“ sitae, quae a mille pedibus usque ad 2500' ascendit, expressa in actis societatis: „Schlesischer Forstverein“ 1852. pag. 336 u. 337.: „Ganz reine Bestände von nur einerlei Holzart sind selten, am häufigsten durch Weiss- und Rothanne, sowie durch Rothbuchen gemischt. Gemäss

magis continua potissimum locis ac declivibus tectis nobis se offert, ut apud casas, quas „Hahnvorwerk“ vocant, habent autem altitudinem 2300 pedum. Ibi in declivibus, quae spectant inter meridiem et occidentem, fagetum splendidum et valde adultum, quod plus centum jugera extendi existimo. Quod autem spectat ad meridiem propterea magna commoda praebet, quod frigidorum ventorum fatus, qui frequentes veniunt a monte summo „Hohe Eule“ et montes a septentrione ad meridiem perflant, declivia ad meridiem sita omnino attingere non possunt, raro vero declivia ad orientem brumalem et occidentem brumalem sita. Hoc situs commodum comprobant silvae prope Lampersdorf, Weigelsdorf, Langenbielau cet. sitae, omnino omnia loca, quae a monte „Hohe Eule“ ad meridiem spectant, quibus locis obveniunt saepe continua fageta, quibus carent declivia ad septentrionem sita. Aliae arbores frondosae, ut Acer platanoides, Acer Pseudoplatanus, Alnus glutinosa, Betulae alba, pubescens, Carpinus Betulus, Corylus Avellana, Fraxinus excelsior, Populus tremula, Sorbus aucuparia, Tiliae parvifolia Ehrh. et grandifolia Ehrh., Ulmus campestris, plerumque singulatim deprehenduntur, et raro, nonnullae ut Populus tremula, Tilia parvifolia, Ulmus campestris cet. omnino non silvas componunt. Memoratu vero dignum est aceretum¹⁾ intra fines silvae prope Lampersdorf situm,

der im Jahre 1842 aufgenommenen Taxe können als dominirende Holzarten angesehen werden:

Buchen	318	Morgen
Ahorn	20	„
Birken	4	„
Blösse	8	„
Eichen	9	„
Lärchen	9	„
Tannen und Fichten	3566	„

Sind hiernach die Pinusarten als vorherrschend anzunehmen, so finden sich doch darunter noch allerlei nützliche Laubhölzer, mit Ausnahme der Eichen, insbesondere auf den mittleren Abhängen die Eschen und Rüstern.

¹⁾ Verhandlungen des schles. Forstvereins 1862, pag. 343: Besonders merkwürdig ist an der südlichen Lehne des Knauerberges ein ungefähr 20 Morgen grosser, fast reiner, gutwüchsiger Ahornbestand, welcher durch Selbstbesamung in der Art entstanden ist,

quod 2000 pedum altum per viginti jugera se porrigit, in quo sane rursus videmus illud spectare ad meridiem; situm igitur utilissimum esse. Aceres platanoides et Pseudoplatanus, Betula pubescens, Sorbus aucuparia, et Tilia grandifolia, quoniam descendunt vix ad mille pedes, notam quasi huic regioni imprimit, aliae vero: Alnus glutinosa, Carpinus Betulus, Corylus Avellana, Fraxinus excelsior, Tilia parvifolia Ehrh., Ulmus campestris ascendunt tantummodo usque ad 2500—2600 pedum. Ulmus campestris remanet usque ad 2000—2200 pedum, apud „Kohlenlehne“ 2100' assequitur maximam altitudinem suam. Fagus silvatica, quae usque ad hanc altitudinem continuas silvas, parvas quidem juxta hunc finem, componebat, altius singulatim aut parum consociata provenit, et non retinet formam arboris validioris, nisi in decliviis commodissime sitis; saepissime vero, imprimis ad cacumina montium „Hohe Eule“ et „Sonnenberg“ formam fruticis eam accipere videmus. Idem valet de Aceribus Pseudoplatano et platanoide et Tilia grandiflora, quae posterior omnino raro occurrit.

Sed etiam pinetum aliam formam accipit. Pinus silvestris, quam in inferioribus locis passim maiores silvas componere supra memoravimus, evanescit, simul atque ad 2300' ascenderis; item Pinus Larix, quam non nisi cultam in territorio nostro inveniri arbitror. Pinus picea L., quae ab altitudine 1000—2400' saepe magnas silvas componit, quin etiam nonnullis locis, ut prope pagum „Herzogswalde“ Pinum Abietem L. demovet, altitudinem 2600' assecuta silvas non jam constituit. Rarissime tum occurrit etiamque rarius validius accrescit, in cacuminibus montium „Eule“ et „Sonnenberg“ locum non habet. Silva igitur harum regionum composita est ex una Pino Abiete L.

Agri quoque in his altitudinibus evanescunt, jam enim frumenti cultura ad finem superiorem pervenit,

dass die kräftig heranwachsenden jungen Ahorne die angesäten Fichten und den vorhanden gewesenen Buchenaufschlag fast gänzlich unterdrückt haben, so dass die ursprüngliche Holzart theils unterdrückt, theils ganz verschwunden und durch einen jungen Ahornbestand ersetzt ist.

etiam si uno loco, in pago „Euldörfel“, qui ipse 2690' situs est, Avenae sativae et Solani tuberosi cultura usque ad 2700' fere procedit. Secale Cereale et Hordeum vulgare (hoc in his locis illo crebrius colitur) altitudinem 2500—2600' non transcedunt; sicuti altissimus ager Secalis Cerealis in montibus nostris infra cacumen montis „Sonnenkoppe“ obvenit, qui ager, quum altitudinem 2500' circiter habet, in media silva situs est: altissimum autem Hordei vulgaris agrum prope pagum „Euldörfel“ et ad montem „Neumannsberg“ deprehendimus, ubi summum 2600 pedum assequitur. Tritici vero cultura excedat non ubique altitudinem 1500 pedum. Pomorum cultura infra has altitudines jam evanescit, cuius altissimi loci in pagis „Kaschbach“ et „Schlesisch-Falkenberg“ sunt, ubi Pyrus communis, rarius tantum Pyrus Malus et Prunus Padus occurrit; neque igitur transgreditur haec cultura altitudinem 2300 pedum.

Huc accedit, ut nonnullae herbae quoque supra altitudinem 2600 pedum proveniant, atque singulatim et rarius infra hanc descendant. Sunt enim: Arabis Halleri, Homogyne alpina, Hieracium aurantiacum, Mulgedium alpinum Cass, Phleum alpinum L., Ranunculus aconitifolius, Veratrum Lobelianum, Viola biflora.

Jure igitur in duas partes dividam regionem montanam, ita ut una sit inferior, altera sit superior, quarum finis est altitudo 2600 pedum.

A. Subregio montana (pinea) inferior.

(1000—2600'.)

Quum altitudines, quae supra 2600' transcedunt, ex summis montium cacuminibus constent, hanc subregionem maximum spatium obtinere appetat. Sed non solum majore spatio, verum etiam varietate singularum vegetationis formarum haec subregio est insignis. Quo fit, ut maximam plantarum ubertatem praebeat. Attamen silva praevalet, cuius quum de generali specie supra jam dixerimus, nunc pluribus verbis singula exponam. Quum autem in montibus nostris, ut in ceteris partibus Silesiae, praecipua vege-

tationis forma in silva contineatur, agro praevalente in regione planitiei, priorem vegetationis formam in hac regione magnam multitudinem plantarum exhibere illucebit, quae sunt propriae hujus regionis, agro tales plantas non praebente.

Plantarum silvestrium sunt peculiares atque propriae huic regioni haec:

<i>Actaea spicata.</i>	<i>Luzula albida</i> (c. <i>forma rubella</i>).
<i>Aira flexuosa.</i>	<i>Lycopodium annotinum.</i>
<i>Astragalus glyciphylllos.</i>	<i>Lysimachia Nemorum.</i>
<i>Aspidium dilatatum.</i>	<i>Melica nutans.</i>
<i>Aspidium lobatum.</i>	<i>Melica uniflora.</i>
<i>Bromus asper.</i>	<i>Melittis Melissophyllum.</i>
<i>Bromus triflorus</i> Ehrh.	<i>Phyteuma spicatum.</i>
<i>Cardamine Impatiens.</i>	<i>Polygonatum verticillatum.</i>
<i>Carex digitata.</i>	<i>Polygonatum multiflorum.</i>
<i>Cephalanthera ensifolia.</i>	<i>Polypodium Dryopteris.</i>
<i>Dentaria bulbifera.</i>	<i>Polypodium Phegopteris.</i>
<i>Dentaria enneaphyllos.</i>	<i>Prenanthes purpurea.</i>
<i>Elymus europaeus.</i>	<i>Pyrola uniflora.</i>
<i>Epilobium augustifolium.</i>	<i>Sanicula europaea.</i>
<i>Epilobium montanum,</i>	<i>Senecio nemorensis,</i>
<i>Epipactis latifolia.</i>	<i>Senecio silvaticus.</i>
<i>Equisetum silvaticum.</i>	<i>Solidago virga aurea.</i>
<i>Galium rotundifolium.</i>	<i>Stellaria Nemorum.</i>
<i>Geranium Robertianum.</i>	<i>Spiraea Aruncus.</i>
<i>Gnaphalium silvaticum.</i>	<i>Thalictrum aquilegifolium.</i>
<i>Lilium Martagon.</i>	
<i>Lathyrus silvestris.</i>	

Hae plantae umbrosissimam silvam amantes in ea praecipue occurunt, aliae vero in fruticetis non densis; et siciora, lapidosa vel saxosa loca adant. In quarum numero praecipue sunt enumerandae:

<i>Digitalis ambigua.</i>	<i>Origanum vulgare.</i>
<i>Inula Conyzza.</i>	<i>Trifolium rubens.</i>
<i>Hypericum montanum.</i>	<i>Verbascum Thapsus.</i>
<i>Laserpitium prutenicum.</i>	

Fruticum autem in hac regione potissimum proveniunt hi: *Lonicera Xystostegum*, *Rubus Idaeus*, apri-

cus, hirtus, Koehleri, Schleicheri, Sambucus racemosa cet.

Post silvam secundum locum obtinent prata, ut prope „Hausdorf“, „Falkenberg“, „Dorfbach“. In quibus quum saepe et frequenter occurrant, hae plantae huic subregioni sunt propriae:

<i>Chaerophyllum hirsutum.</i>	<i>Montia rivularis</i> (juxta riu-
<i>Gentiana campestris.</i>	vulos).
<i>Eriophorum angustifolium.</i>	<i>Orchis mascula.</i>
<i>Gymnadenia conopsea.</i>	<i>Orchis sambucina.</i>
<i>Juncus silvaticus.</i>	<i>Petasites albus</i> (in silvis
<i>Juncus squarrosum.</i>	quoque).
<i>Stellaria uliginosa.</i>	<i>Pedicularis sylvatica,</i>
<i>Leucojum vernum</i> (in sil- varum pratis)	

Sicciora tantum loca graminosa adamant: *Carlina acaulis* (in omnibus hujus subregionis locis quum frequenter occurrit, tum prope Neurode, Falkenberg, Volpersdorf, omnino in parte occidentali montium nostrorum), *Centaurea phrygia*, *Gentiana ciliata*, *Potentilla verna*, *Myrrhim odoratam*, quum in hortis herbosis et in pomariis praecipue occurrat, tantum quasi spontaneam esse arbitrari licet. Hae quidem species totam paene floram utriusque vegetationis formae componunt, ita ut earum pluribus una simul careat nulla montium pars, nisi minima sit, attamen haec subregio magnam multitudinem specierum, quae huic propriae sunt, offert, quae quum uno tantum loco vel rarissime proveniant, a nobis enumerari non potuerunt, quoniam nostra intererat, hac commentationis parte descriptionem generalem totius floriae offerre.

Omnium autem territorii partium, itaque hujus regionis, uberrimae sunt valles Nissae et Vistritii fluminum (haec posterior vallis jam dudum magnam famam apud botanicos assecuta est), quae non parvam multitudinem ostendunt specierum, quae frustra in ceteris partibus montium nostrorum quaeruntur. Hujus vero causa in eo insit, quod his imprimis locis plures saxonum moles continuae occurunt. Quamquam enim saxa

etiam in ea regione, quam superiorem esse statuimus, deprehendimus, ut „Eulenstein“, „Bärenstein“, „Sonnenstein“, „Ottenstein“, et in planitiei regione apud pagos „Peile“ et „Langenbielau“, tamen haec saxa singulariter et rarius extare videmus, grandiores igitur et magis perpetuas saxorum moles non inveniri, nisi in vallibus illis. Attamen hae valles specie florae saxosae inter se differunt. In Vistritii enim fluminis valle saxa saepe caespitibus obiecta sunt, in quibus vegetatio optime provenire potest, quae res laetum adspectum saxis tribuit, in Nissae vero fluvii valle saxum nudum et aridum nobis obviam fit, nec nisi in saxorum rimis aggerem exstructum videmus, in quibus quum aquae colligantur, fit, ut saxa facilius adedantur, quod hoc saxum propria natura sua magis impedit, quam gneus lapis, et id fortasse, quod lapis „Feldspath“ ei non inest. Unde non jam mirum erit, quod flora saxosa ultriusque vallis satis magnam diversitatem habet, et paucae tantum species utriusque valli communes sunt. E quibus imprimis huic regioni propriae notandae sunt: *Asplenium germanicum* Weiss, *Aspl. septentrionale* L. *Epilobium collum* Gmel., *Festuca glauca* Lam., *Polygonatum anceps*; fructices: *Rhamnus cathartica*, *Ribes Grossularia*, L.

Ad saxa tantum fluminis Vistritii vallis: *Berberis vulgaris*, *Hieracium echioides* Lumnitzer, *Prunus avium*, *Pyrus Malus*, *Woodisia ilvensis* R. Br., quae postrema praecipue ad saxa molae, cui nomen est „Panthen-mühle“, ex adverso sita uno hoc totius Silesiae loco reperitur.

Saxa vero vallis fluminis Nissae, quorum ea imprimis, ex quibus sinistra fluminis hujus ripa constat, vegetationem uberem exhibent, prae fluminis Vistritii vallis saxis potissimum plantae ornant: *Artemisia Absinthium* L.; (sine dubio hic vere spontanea, quippe ubi loca plane similia sunt Alpium vallibus in *Tyrolensium* et *Helvetiorum* finibus sitorum), *Cotoneaster vulgaris*, *Arabis arenosa*, *Epilobium Dodonaei* Vill. (praesertim quod copiosissime occurrit, propria Nissae valli, ubi paene ubique locis saxosis, lapidosis, glareosisque deprehenditur, sicuti quoque inter „Giersdorf“ et „Wartha“ frequentissime in declivibus glareosis siccis-

que montis „Fauberg“ provenit; simili modo etiam apud Volpersdorf ad viam stratam inter Volpersdorf et Neudorf magna spatia saepe occupat; prope „Ober-Weistritz“ pagum quidem deprehendes in serpentinis lapidicinis jam desertis, sed aliquanto rarius ibi ob-viam fit), *Galeopsis angustifolia* Ehrh. (G. Ladanum K. β *angustifolia* Wimm.), *Melica ciliata* L. (etiam cum panicula ramosa), *Verbascum Thapsus*, *Portulaca oleracea*, *Setariae viridis* et *glauca*, (quae ad saxa in nostra quidem terra alias non occurrunt, in Tyrolensium vero et Helvetiorum terra, omnino in Europa meridionali), *Galeopsis Tethabit* β' *intermedia* Schultes, *Poterium Sanguisorba* L., *Agropyrum caninum* L. Tum in nonnullis fruticibus, sicuti in valle parvula saxis circumdata et ad occidentem urbis „Wartha“ sita, praeterea nonnunquam reperiuntur: *Cytisus capitatus* Jacq. *Viola collina* Bess., *Calamagrostis silvatica*, *Galeopsis pubescens*, *Spiraea Aruncus*, *Digitalis ambigua*, *Hypericum montanum*, *Aquilegia vulgaris*, *Origanum vulgare*, quae posterior species ibi plerumque invenitur, ubi nuda saxa non exstant. Praeterea *Nissae fluminis vallis* saxa plantas praebent, quas in saxis deprehendere non solemus quaeque in planicie saepe occurrentes parvam vallis altitudinem accurate designant (alveus *Nissae* circiter 800' habet), ut *Bromus tectorum*, *Fragaria collina*, *Centaurea maculosa*, *Hieracium rigidum*, cet. In fruticeto vero uidiori et in silva uidiori, imprimis in fageto, quod ad montem „Fauberg“ pulcherrime crescit, praeter *Pulmonariam officinalis*, *Mercuriale pereunem*, *Daphnem Mezereum*, *Convallariam majalem*, *Galeobdolon luteum* etiam inveniuntur *Lonicera Xylosteum*, qua caret vallis fluvii Vistritii et *Tilia grandifolia*, quae in Vistritii valle raro, hic frequentissime occurrit. Quod igitur vallis Vistritii minorem plantarum foecunditatem valle *Nissae* praebere videtur, saxa tantum vallis *Nissae* multo uberiora esse quam vallis Vistritii dicere licet, alia autem conditione uti alias vegetationis formas. Computantibus tamen Vistritii vallem plus duo millaria longam esse, partem vallis *Nissae* a nobis perlustratam vix quartam milliarum partem in longitudinem porrigi, sententia nobis placeat, *Nissae* vallem foecundiorem Vistritii valle

esse. Quam posteriorem quum nemo botanicorum Silesiacorum non pervagatus sit, nec, quid ei proprium sit, Wimmer in flora sua referre praetermisserit, hoc loco accuratius describere opus non erit, sed, quibus plantis differant duae valles ostendam:

Nissae fl. vallis.

Vistritii fl. vallis.

Woodsia ilvensis RBr.

Botrychium Lunaria Sw.

Lycopodium complanatum. L.

Setaria glauca P. B. (ad saxa.)

S. viridis P. B. (ad saxa.)

Melica ciliata. L.

Poa hybrida MK. (sudetica β hybrida.)

Bromus tectorum L. (ad saxa.)

Bromus triflorus Ehrh.

Agropyrum caninum L.

Elymus europaeus. L.

Carex brizoides L.

Juncus silvaticus Reichbch.

Sparganium ramosum Hudson.

Betula pubescens.

(Alnus incana \times glutinosa.)

Valeriana sambucifolia Mikan.

Betula pubescens Ehrh.

Petasites albus Gärtn.

Inula Conyzza L.

\dagger) Rudbeckia laciniata L.

\dagger Teleckia speciosa L.

Senecio nemorensis.

Hieracium floribundum W. et Gr.

H. echioides Lumnitzer.

Aracium paludosum Morr.

Campanula Cervicaria L.

Galium rotundifolium L.

Galium Cruciatum L.

\dagger) \dagger significat plantas quasi spontaneas.

<i>Lonicera Xylosteum.</i>	† <i>Collomia grandiflora.</i>
<i>Galeopsis angustifolia Ehrh.</i>	<i>Veronica latifolia.</i>
	<i>Myosotis sparsiflora Mikan.</i>
	<i>Omphalodes scorpioides</i> Lehmman.
(<i>Seseli Libanotis</i>).	(<i>Seseli Libanotis L.</i>)
	<i>Laserpitium prutenicum L.</i>
	<i>Laserpit. latifolium L.</i>
	<i>Anthriscus dubius Kabath.</i>
	<i>Pleurospermum austriacum</i> Hoffm.
<i>Sempervivum soboliferum L.</i>	<i>Ribes alpinum L.</i>
<i>Arabis arenosa Scop.</i>	<i>Berberis vulgaris L.</i>
	<i>Arabis Gerardi Besser.</i>
	<i>Cardamine Impatiens L.</i>
	<i>Cardamine silvatica Link.</i>
<i>Viola collina Besser.</i>	<i>Drosera rotundifolia L.</i>
<i>Portulaca oleracea L. (ad</i> <i>saxa.)</i>	<i>Viola stagnina Kitaibel.</i>
	<i>Montia rivularis Gmelin.</i>
	<i>Cerastium glomeratum.</i>
<i>Geranium divaricatum Ehrh.</i>	<i>Hypericum hirsutum L.</i>
	<i>Geranium phaeum L.</i>
	<i>Geranium silvaticum L.</i>
<i>Myriophyllum spicatum L.</i>	
<i>Cotoneaster vulgaris Lindley</i>	<i>Rosa alpina L.</i>
	<i>Pyrus Malus L.</i>
<i>Rubus macroacanthus W.N.</i>	<i>Rubus apricus Wimm.</i>
<i>Poterium Sanguisorba L.</i>	<i>Potentilla rupestris L.</i>
<i>Cytisus capitatus Jacq.</i>	<i>Sarrothamnus vulg. Wimm.</i>
<i>Ononis hircina Jacq.</i>	<i>Anthyllis Vulneraria L.</i>
<i>Vicia cassubica L.</i>	<i>Vicia pisiformis L.</i>
	<i>Orobus tuberosus.</i>

Ut igitur duae valles vegetatione satis differunt, nec nisi paucas peculiares plantas utraque simul possidet, ita tamen meminisse debemus, utroque loco soli fundamentum quoque geognosticum diversum esse. In quo quanti momenti sit fundamentum geognosticum, mirum in modum in pago „Neudorf“ prope Silberberg videmus, ubi calcem deprehendimus. Et, quamquam hic minimum spatium se praebet, tamen partim

in fruticeto lapidoso, saxoso, partim in ipsis calcareis nonnullae species inveniuntur in nulla alia parte territorii usque adhuc observatae: *Salvia verticillata*, *Picris hieracioides*, *Tragopogon major*, *Arabis hirsuta*, *Bromus serotinus* Benek., *Veronica opaca* Fries; et in rivulis: *Mentha gentilis*. *Melica ciliata* et *Viola collina*, quas apud, „*Wartha*“ urbem provenire jam commemoravimus, item hoc loco occurrunt. Deinde offerrunt se: *Lepidium campestre*, *Lonicera Xylosteum*, *Centaurea Scabiosa*, *Polygonatum anceps* Mönch, *Origanum vulgare*. *Brachypodium pinnatum*, *Galium silvestre* Pollich cet.

Denique occidentale quoque promontorium vel terra montana ab oppido „*Neurode*“ nomen capiens, quam supra diximus, plane propriam vegetationem exhibet, itaque magnam copiam specierum, quae nusquam alibi in territorio omnino non, certe quidem rarissime deprehenduntur, praebet, itaque illam terram prae ceteris distinguunt; sunt hae: *Carex pulicaris*, *Junc filiformis* et *squarrosum*, *Orchis ustulata*, *Goodyera repens*, *Spiranthes autumnalis*, *Galium vernum*, *Trientalis europaea*, *Pyrola media*, *Epilobium virgatum* Fries, *Trifolium spadiceum*, *Arnica montana*, *Lonicera nigra*; reliqua flora cum regionis flora fere congruente præterquam quod *Aspidium lobatum* Sw. adhuc nondum inventum est. Rariores plantae præterea hanc territorii partem exornantes mihi commemorandae sunt: *Valeriana dioica*, *Cirsium heterophyllum*, *Galium silvestre* Poll., *Lonicera nigra* L., *Gentianae germanica* Willd. et *ciliata* (species ulterior multo rarius mihi in hac territorii parte occurrit, quam species altera) *Galeopsis angustifolia* Ehrh., *Alectorolophus hirsutus*, *Astrantia major*. Tractus vero principalis ipse, quantum ejus spatium in hanc regionem intrat, non alias fere nisi supra memoratas huic subregioni proprias species exhibet et paucas tantum peculiares possidet, quarum plures insuper rarissime obveniunt, ut *Botrychium rutaceum* Sw. (*matricariaefolium* Al. Br.), *Botrychium rutaefolium* Al. Braun (*B. matricariooides* Willd.), *Epipogium Gmelini*, *Allium ursinum* L., *Atropa Belladona*, *Isopyrum thalictroides*, *Asplenium Adiantum nigrum* L., *Asplenium Serpentini* Tausch.

Praeter modo descriptas vegetationis formas ericeti forma huic regioni non deest, rarissime quidem obveniens, minimum spatium occupans. Praeter Callunam vulgarem tamen, et Salicem repente et lichenes plures ut Cladoniam crenulatam, fimbriatam, gracilem, macilentam, rangiferinam (quae prae ceteris maxime praevalet) pyxidatam, pungentem etc., Corniculariam aculeatam, Cetrariam islandicam (quae in montibus nostris ad summos altitudines non ascendit) nullam peculiarem vegetationem praebet, nisi forte Triodiam decumbentem, Juncum squarrosum, cet. enumeraveris.

Plantarum vero agrestium, ruderalium, arvensium, campestrium et hydrophytarum haec regio, exceptis *Mentha gentili*, *Alectorolopho hirsuto*, *Ranunculo fluitante*, *Rumice aquatico*, *Epilobio virgato*, nullas proprias species exhibet, quarum satis quidem magna multitudo in hac regione provenit, in infima regione vero a nobis jam deprehensa est. E quibus superiorem finem pedum 1400—2000 assequuntur hae:

<i>Anagallis arvensis.</i>	<i>Fumaria officinalis.</i>
<i>Aphanes arvensis.</i>	<i>Galeopsis Tetrahit.</i>
<i>Arenaria serpyllifolia.</i>	<i>Galium Aparine.</i>
<i>Artemisia vulgaris.</i>	<i>Galium palustre.</i>
<i>Atriplex hastatum.</i>	<i>Geranium pusillum.</i>
<i>Bidens tripartita.</i>	<i>Glyceria plicata.</i>
<i>Carduus acanthoides.</i>	<i>Gypsophila muralis.</i>
<i>Carex paludosa.</i>	<i>Inula britannica.</i>
<i>Chelidonium majus.</i>	<i>Lamium purpureum.</i>
<i>Chenopodium album.</i>	<i>Lemna minor.</i>
<i>Chenopodium Bonus Henricus.</i>	<i>Lepidium campestre,</i> <i>Linaria minor.</i>
<i>Cirsium lanceolatum.</i>	<i>Lithospermum arvense.</i>
<i>Coronilla varia.</i>	<i>Malva silvestris.</i>
<i>Crepis tectorum.</i>	<i>Matricaria Chamomilla.</i>
<i>Echium vulgare.</i>	<i>Mentha aquatica.</i>
<i>Equisetum limosum.</i>	<i>Mentha arvensis.</i>
<i>Erodium cicutarium.</i>	<i>Mentha silvestris.</i>
<i>Erophila vulgaris.</i>	<i>Myosotis stricta.</i>
<i>Erysimum cheiranthoides.</i>	<i>Neslia paniculata.</i>
<i>Erythraea pulchella.</i>	<i>Nuphar luteum.</i>
<i>Euphorbia Helioscopia.</i>	<i>Papaver Rhoeas.</i>
<i>Festuca pratensis.</i>	<i>Phalaris arundinacea.</i>

<i>Phragmites communis.</i>	<i>Solanum Dulcamara.</i>
<i>Poa compressa.</i>	“) <i>Spinacia oleracea.</i>
<i>Polygonum aviculare.</i>	<i>Trifolium arvense.</i>
<i>Polygonum Hydropiper.</i>	<i>Triticum repens.</i>
<i>Polygonum Persicaria.</i>	<i>Valerianella auricula.</i>
<i>Pyrethrum inodorum.</i>	<i>Valerianella Morisonii.</i>
<i>Rumex conglomeratus.</i>	<i>Veronica Buxbaumii.</i>
<i>Scleranthus annuus.</i>	<i>Veronica opaca.</i>
<i>Setaria glauca.</i>	<i>Veronica polita.</i>
<i>Silene vespertina.</i>	<i>Vicia sepium.</i>
<i>Sisymbrium sophia.</i>	

Altitudo autem 2000—2650' finis superior est his:

<i>Agrostis spica venti.</i>	<i>Malva neglecta.</i>
<i>Alisma Plantago.</i>	<i>Myosotis intermedia.</i>
<i>Anthemis tinctoria.</i>	<i>Polygonum Convolvulus.</i>
<i>Avena sativa,</i>	<i>Raphanus Raphanistrum.</i>
<i>Callitrichie vernalis.</i>	† <i>Secale Cereale.</i>
<i>Caltha palustris.</i>	<i>Senecio vulgaris.</i>
<i>Camelina dentata.</i>	<i>Scleranthus annuus.</i>
<i>Campanula rapunculoides.</i>	<i>Sherardia arvensis.</i>
<i>Capsella bursa pastoris.</i>	<i>Sisymbrium Thalianum.</i>
<i>Centaurea Cyanus.</i>	† <i>Solanum tuberosum.</i>
<i>Cirsium arvense.</i>	<i>Sonchus oleraceus.</i>
<i>Cuscuta Epilinum,</i>	<i>Spergula arvensis.</i>
<i>Equisetum arvense.</i>	<i>Stachys palustris.</i>
<i>Equisetum palustre.</i>	<i>Thlaspi arvense.</i>
<i>Glyceria fluitans.</i>	<i>Trifolium agrarium (L.)</i>
<i>Heleocharis vulgaris.</i>	<i>Trifolium arvense.</i>
† <i>Hordeum vulgare.</i>	<i>Urtica dioica.</i>
<i>Lampsana communis.</i>	<i>Valerianella olitoria.</i>
<i>Lamium amplexicaule.</i>	<i>Veronica arvensis.</i>
† <i>Levisticum officinale.</i>	<i>Veronica Beccabunga.</i>
<i>Linaria arvensis.</i>	<i>Vicia angustifolia.</i>
† <i>Linum usitatissimum.</i>	<i>Vicia hirsuta.</i>
<i>Lychnis Githago.</i>	<i>Viola tricolor.</i>
<i>Luzula campestris.</i>	

*) Significat plantas, quae coluntur.

B. Subregio pinea (montana) superior (2650'—3160')

Quae varietas formarum vegetationis distinguebat interiores subregiones, ea plane caret subregio superior: quod facile erit intellectu, quoniam summos tantum montium vertices occupat, ut „Eule“ et „Sonnenkoppe“. Vegetationis enim formarum silvae et prati hic tantum rationem aliquam habere possumus. Praevalidet autem silva, prato nonnullis paucis locis occurrente nec plerumque late patente, ut ad „Bärenwiese“, ad „Euldörfel“, ad „Sonnen-Koppe“ etc. Supra vero iam, qualis silva sit, in universum descripti. Hic una *Pinus Abies L.* (*Picea vulgaris Link*) silvas majores componit, omnes ceteras arbores silvestres hac re antecedens. Sed omnibus locis jugorum summorum *Picea vulgaris Lk.* non ascendit ad magnificam illam magnitudinem, quam jam eorum melius sitis declivibus assecuta est et ad quam in regione inferiori semper assurgentem videmus. Adde hoc, quod *Aceres platanoides*, *pseudoplatanus* et *Fagus silvatica* non nisi formam fruticum exhibent hoc loco, cuius modi provenit quum in montibus giganteis (Riesengebirge) et iis, quos „Mährisches Gesenke“ appellamus, supra demum finem silvae superioris imprimis deprehendamus, intelligere opus erit, vertices montium nostrorum summos non jam longe abesse a fine superioris silvae.

Sed *Sorbus aucuparia*, quam valde passim tantum in subregione inferiori montana deprehendimus, in planicie regione plane non habuimus, eximie hic provenit saepeque majora spatia occupat ibi praesertim, ubi *pini rarius* aliquid occurrit, sicuti nonnullis locis verticis montium „Sonnenberg“ et „Hohe Eule“. Frequentissime mirum in modum in monte „Thurmberg“ obvenit, ubi *Piceam vulgarem* etiam opprimit. Nunc praeterea nobis reputantibus, *Sorbum aucupariam* in ceteris Sudeticis montibus ibi primum majorem copiam exhibere, ubi silva prope accedit ad finem suum superiorem, in montibus giganteis (Riesengebirge) fere semper adjungi ad *Pinum Pumilionem*, in montibus „Mährisches Gesenke“ inter frutices subalpinos primum locum obtinere, alia jam causa videatur, quod si mon-

tes nostri altiores essent, quam sunt, dicere possumus finem superiorem silvae potius nondum assecuturum esse, quam excessurum altitudinem 3500 pedum, hac in re illos igitur diversos fore a propriis sito monte Glaciensi „Schneeberg“, ubi silvarum finis superior praeter consuetudinem, si Silesiam spectamus, alte ascendit etiamque supra 4000' satis bene pinetum accrescit, et se adjuncturos esse ad remotius sitos montes giganteos (Riesengebirge), quorum superiorem finem 3500' esse statuimus. Peculiares autem subregionis superioris praeter Sorbum aucupariam sunt ex fruticibus: Lonicera nigra, Rosa alpina et Salix silesiaca, sed tamen plures aliae hic occurrunt jam in planitiei regione frequentissime deprehensae; ut Juniperus communis, Salix caprea, Rubus hirtus, Daphne Mezereum; impennis vero notandum est, quam frequenter et densissime accrescit Vaccinium Myrtillus, quod saepe plus duos pedes altum ita praevalet, ut ipsa Pteris aquilina, quae alias per totos montes frequentissime provenit, raro passim tantum crescere possit. Tum herbarum hujus formae vegetationis propriae huic regioni sunt: Aspidium Braunii, Circaeа alpina, Geranium silvaticum, Homogyne alpina, Lunaria rediviva, Lycopodium Selago, Mulgedium alpinum, Ranunculus aconitifolius, Viola biflora. Sed pleraequae plantarum subregionis inferioris usque ad hanc regionem ascendunt, frequentissime tamen hae: Actaea spicata, Aspidium dilatatum, Brachypodium silvaticum, Chaerophyllum aromaticum, Dentaria bulbifera, Dentaria enneaphyllos, Elymus europaeus, Epilobium angustifolium, Equisetum silvaticum, Eupatorium cannabinum, Gnaphalium silvaticum, Leucojum vernum, Lilium Martagon, Luzula albida, Lycopodium annotinum, Melampyrum silvaticum, Orchis sambucina, Polypodium Dryopteris, Polyp. Phlegopteris, Phyteuma spicatum, Prenanthes purpurea, Pyrola uniflora, Rubus saxatilis, Saponaria diurna, Senecio nemorensis, Stellaria Nemorum, Thalictrum aquilegiforme.

Altera hujus regionis forma vegetationis est pratum, cuius et uvidum et siccum discernenda hic quoque erunt. Utraque forma silvae tantum intermixta obvenit, sed hoc fere disserimen intercedit, ut haec

posterior in jugis ipsis appareat, illa in declivibus montium et jugorum: cui rei contrarium id est, quod montes gigantei praebent. Quod facile ex eo explicari potest, quod in his montibus uligo juga tegit, nostri montes nihil ejusmodi exhibent: ejus rei testimonium exstat jam in eo, quod desunt propriae uliginis plantae, ut *Andromeda polifolia*, *Vaccinium Oxyccos*, *Scheuchzeria palustris*, *Carex limosa*. Sed etiam percontantibus nobis, quomodo gignantur prata uvida, facile cognoscere licet, uliginis formam hoc loco abesse. Nostrorum enim montium pratum uividum et palustre ex eo nascitur, quod rivi a jugis descendentes perfluent, itaque siccum pratum reddant uvidum et palustre. Quia vero omnia haec prata in declivibus sita horizontem versus inclinant, fieri non potest, ut aqua defluens hic diutius stagnet, et ut quodque magis minusve inclinat, ita magis minusve uividum aut palustre est, quin etiam media in aestate interdum paene sicca sunt. Proprium igitur nostris montibus est, quod uligine montana carent, qua in re partim fortasse causa insit inopiae plantarum in superioribus eorum locis. Subregioni vero superiori peculia pratum uividum pauca genera habet: *Cirsium heterophyllum*, *Hieracium gothicum* Fr., *Senecio crispatus* DC., *Veratrum Lobelianum*, quo posteriore imprimis horum pratorum nullum caret etiamque siccis locis provenit, ut in vertice montis „Sonnen-Koppe“. Haud minorem egestatem generum priorum prato uido habet pratum siccum, sunt enim: *Arabis Halleri*, *Galium silvestre* Poll., *Hieracium aurantiacum*, *Phleum alpinum*. *Potentilla aurea*, quam in nostris montibus esse flora Silesia cl. Wimmer edita refert, me studiosissime quaerentem et indagantem fefellerunt: quamquam horum locorum flora non fere inops dici potest, quia pleraque plantarum, quas primae subregioni proprias enumeravimus, hic quoque se offerunt, imprimis: *Eriophorum angustifolium*, *Gymnadenia conopsea*, *Orchis mascula*, *Pedicularis sylvatica*, *Petasites albus*, *Primula elatior*, *Phyteuma spicatum*, *Stellaria uliginosa*, etc.

Praeter modo memoratas species hae jam in planicie frequenter occurrentes plantae pratenses et sil-

vestres usque ad hanc regionem partimque usque ad summa montium cacumina ascendunt:

<i>Agrostis vulgaris.</i>	<i>Euphrasia nemorosa.</i>
<i>Aira caespitosa.</i>	<i>Festuca duriuscula.</i>
<i>Ajuga reptans.</i>	<i>Fest. gigantea.</i>
<i>Achemilla vulgaris.</i>	<i>F. ovina.</i>
<i>Alopecurus pratensis.</i>	<i>Fragaria vesca.</i>
<i>Antennaria dioica.</i>	<i>Galeobdolon luteum.</i>
<i>Anthoxanthum odoratum.</i>	<i>Galium boreale.</i>
<i>Anthriscus silvestris.</i>	<i>Hepatica triloba.</i>
<i>Arenaria trinervia.</i>	<i>Hieracium auricula.</i>
<i>Asarum europaeum.</i>	<i>Hieracium boreale.</i>
<i>Aspidium filix mas.</i>	<i>Hierac. murorum.</i>
<i>Aspidium spinulosum.</i>	<i>Hieracium Pilosella</i>
<i>Aspidium filix femina.</i>	<i>H. vulgatum.</i>
<i>Brachypodium sylvaticum.</i>	<i>Impatiens noli tangere.</i>
<i>Campanula glomerata.</i>	<i>Juniperus communis.</i>
<i>Campanula rotundifolia.</i>	<i>Hypericum quadrangulum.</i>
<i>Campanula Trachelium.</i>	<i>Leontodon autumnalis.</i>
<i>Cardamine pratensis.</i>	<i>Leucanthemum vulgare.</i>
<i>Carex ampullacea.</i>	<i>Luzula multiflora.</i>
<i>C. canescens.</i>	<i>L. pilosa.</i>
<i>C. flava.</i>	<i>Lycopodium complanatum.</i>
<i>C. pallescens.</i>	<i>Lysimachia vulgaris.</i>
<i>C. panicea.</i>	<i>Melampyrum pratense.</i>
<i>C. pilulifera.</i>	<i>Mercurialis perennis.</i>
<i>C. remota.</i>	<i>Molinia coerulea.</i>
<i>C. stellulata.</i>	<i>Myosotis sylvatica.</i>
<i>C. vulgaris.</i>	<i>M. palustris.</i>
<i>Carum Carvi.</i>	<i>Nardus stricta.</i>
<i>Cerastium vulgatum.</i>	<i>Orchis maculata.</i>
<i>Chrysosplenium alternifo-</i>	<i>Oxalis acetosella.</i>
<i>lium.</i>	<i>Paris quadrifolia.</i>
<i>Cirsium palustre.</i>	<i>Petasites officinalis.</i>
<i>Corydalis fabacea.</i>	<i>Phleum pratense.</i>
<i>Cystopteris fragilis.</i>	<i>Phoenixopus muralis.</i>
<i>Dactylis glomerata.</i>	<i>Pimpinella magna.</i>
<i>Danthonia decumbens.</i>	<i>Pimpinella Saxifraga.</i>
<i>Daphne Mezereum.</i>	<i>Plantago lanceolata.</i>
<i>Epilobium roseum.</i>	<i>Plantago majus.</i>
<i>Erigeron canadensis.</i>	<i>Poa annua.</i>
<i>Eriophorum latifolium.</i>	<i>Poa nemoralis.</i>

<i>P. pratensis.</i>	<i>Senecio viscosus.</i>
<i>Polygala vulgaris.</i>	<i>Silene inflata.</i>
<i>Polygonum Bistorta.</i>	<i>Smilacina bifolia.</i>
<i>Polypodium vulgare.</i>	<i>Stachys sylvatica.</i>
<i>Populus tremula.</i>	<i>Stellaria graminea.</i>
<i>Potentilla Tormentilla.</i>	<i>St. media.</i>
<i>Pteris aquilina.</i>	<i>Taraxacum officinale.</i>
<i>Pyrola minor.</i>	<i>Tussilago Farfara.</i>
<i>Pulmonaria officinalis.</i>	<i>Vaccinium Myrtillus.</i>
<i>Ranunculus acris.</i>	<i>V. vitis idea.</i>
<i>R. lanuginosus.</i>	<i>Veronica Chamaedrys.</i>
<i>R. repens.</i>	<i>V. officinalis.</i>
<i>Rumex acetosa.</i>	<i>Veronica serpyllifolia.</i>
<i>R. acetosella.</i>	<i>Viola palustris.</i>
<i>Sagina procumbens.</i>	<i>V. silvestris.</i>
<i>Salix aurita.</i>	<i>V. Riviniana.</i>
<i>S. caprea.</i>	
Sed altitudinem 2000 finem habent hae plantae	
-2650' assecutae superiorem silvestres et pratenses:	
<i>Achillea Millefolium L.</i>	<i>Carpinus Betulus.</i>
<i>Achyrophorus maculatus Scop.</i>	<i>Centaurea jacea.</i>
<i>Aegopodium Podagraria.</i>	<i>Cirsium oleraceum.</i>
<i>Ajuga genevensis.</i>	<i>Convallaria majalis.</i>
<i>Alectrolophus minor.</i>	<i>Corylus Avellana.</i>
<i>Alnus glutinosa.</i>	<i>Crataegus Oxyacantha.</i>
<i>A. incana.</i>	<i>Epilobium palustre.</i>
<i>Anemone nemorosa.</i>	<i>Erigeron acre.</i>
<i>A. ranunculoides.</i>	<i>Festuca gigantea.</i>
<i>Angelica silvestris.</i>	<i>F. pratensis.</i>
<i>Arrhenatherum elatius.</i>	<i>Fraxinus excelsior.</i>
<i>Asperula odorata.</i>	<i>Galium Mollugo.</i>
<i>Astragalus glycyphyllos.</i>	<i>Genista tinctoria.</i>
<i>Bellis perennis.</i>	<i>Hieracium umbellatum.</i>
<i>Betonica officinalis.</i>	<i>Holcus lanatus.</i>
<i>Bromus secalinus.</i>	<i>Hypericum perforatum.</i>
<i>Calamagrostis sylvatica.</i>	<i>Knautia arvensis.</i>
<i>Campanula patula.</i>	<i>Lamium maculatum.</i>
<i>Carex leporina.</i>	<i>Lathraea squamaria.</i>
<i>C. muricata.</i>	<i>Leontodon hastilis.</i>
<i>C. sylvatica.</i>	<i>Linaria vulgaris.</i>
<i>Carlina vulgaris.</i>	<i>Linum catharticum.</i>
	<i>Listera ovata.</i>

<i>Lolium perenne.</i>	<i>R. fruticosus.</i>
<i>Lotus corniculatus.</i>	<i>R. nemorosus Hayne.</i>
<i>Lychnis flos cuculi.</i>	<i>R. thyrsoideus Wimm.</i>
<i>Melampyrum nemorosum.</i>	<i>E. villicaulis Köhl.</i>
<i>Monotropa Hypopitys.</i>	<i>Serratula tinctoria.</i>
<i>Myosotis hispida.</i>	<i>Scirpus sylvaticus.</i>
<i>Neottia Nidus avis.</i>	<i>Spiraea Ulmaria.</i>
<i>Orchis latifolia.</i>	<i>Succisa pratensis.</i>
<i>Painassia palustris.</i>	<i>Tilia parvifolia.</i>
<i>Pastinaca sativa.</i>	<i>Trifolium agrarium aut.</i>
<i>Pinus silvestris.</i>	<i>T. medium.</i>
<i>Platanthera bifolia.</i>	<i>T. pratense.</i>
<i>Potentilla argentea.</i>	<i>Triglochin palustre.</i>
<i>Prunella vulgaris.</i>	<i>Ulmus campestris.</i>
<i>Pyrola chlorantha.</i>	<i>Valeriana sambucifolia.</i>
<i>P. rotundifolia.</i>	<i>Valerianella olitoria.</i>
<i>Pyrus communis.</i>	<i>Vicia hirsuta.</i>
<i>Rhamnus Frangula.</i>	<i>Viola canina.</i>
<i>Rubus caesius.</i>	

Ad altitudinem denique 1400—2000' ascendunt ex regione planitie plantarum pratensium et silvestrium haec:

<i>Agrimonia Eupatorium</i> L.	<i>Cerastium arvense.</i>
<i>Agopyrum caninum.</i>	<i>C. glomeratum.</i>
<i>Agrostis alba.</i>	<i>Cichorium Intybus.</i>
<i>Agrostis canina.</i>	<i>Circaeа Lutetiana.</i>
<i>Aquilegia vulgaris.</i>	<i>C. intermedia.</i>
<i>Arabis Gerardi.</i>	<i>Cirsium oleraceum.</i>
<i>Arctostaphylus officinalis.</i>	<i>Clinopodium vulgare.</i>
<i>Astrantia major.</i>	<i>Colchicum autumnale.</i>
<i>Avena flavescens.</i>	<i>Corydalis cava.</i>
<i>Blyssmus compressus.</i>	<i>Crepis biennis.</i>
<i>Brachypodium pinnatum.</i>	<i>C. virens.</i>
<i>Briza media.</i>	<i>Cuscuta Epithymum.</i>
<i>Caltha palustris.</i>	<i>Cynanchum Vincetoxicum.</i>
<i>Campanula Cervicaria</i>	<i>Cynosurus cristatus.</i>
<i>C. rapunculoides.</i>	<i>Daucus Carota.</i>
<i>Carex paniculata.</i>	<i>Dianthus deltoides.</i>
<i>C. praecox.</i>	<i>Erythraea Centaureum.</i>
<i>Centaurea paniculata.</i>	<i>Gagea lutea.</i>
<i>C. scabiosa.</i>	<i>Galium vernum.</i>

<i>G. verum.</i>	<i>Sagina nodosa.</i>
<i>Gentiana Pneumonanthe.</i>	<i>Salix cinerea.</i>
<i>Geranium columbinum.</i>	<i>S. purpurea.</i>
<i>G. pratense.</i>	<i>S. viminalis.</i>
<i>Glechoma hederaceum.</i>	<i>Sambucus nigra.</i>
<i>Hedera Helix.</i>	<i>Sanguisorba officinalis.</i>
<i>Helianthemum vulgare.</i>	<i>Sarrothamnus vulgaris.</i>
<i>Hieracium cymosum.</i>	<i>Saxifraga granulata.</i>
<i>H. floribundum W. Gr.</i>	<i>Scabiosa ochroleuca.</i>
<i>H. praealtum Vill.</i>	<i>Seriphularia nodosa.</i>
<i>H. rigidum Hartmann.</i>	<i>Sedum acre.</i>
<i>H. stoloniflorum.</i>	<i>S. sexangulare.</i>
<i>Hypericum hirsutum.</i>	<i>Selinum carvifolia.</i>
<i>Hypochaeris radicata.</i>	<i>Seseli annuum.</i>
<i>Inula salicina.</i>	<i>Silene gallica.</i>
<i>Lathyrus pratensis.</i>	<i>S. nutans.</i>
<i>Malachium aquaticum.</i>	<i>Stellaria glauca.</i>
<i>Melissa acinos.</i>	<i>Tanacetum vulgare.</i>
<i>Menyanthes trifoliata.</i>	<i>Torilis Anthriscus.</i>
<i>Milium effusum.</i>	<i>Tragopogon major.</i>
<i>Orobus niger.</i>	<i>T. pratensis.</i>
<i>O. vernus.</i>	<i>Trifolium alpestre.</i>
<i>Pedicularis palustris.</i>	<i>T. filiforme.</i>
<i>Peucedanum Cervaria.</i>	<i>T. hybridum.</i>
<i>Peucedanum Oreoselium.</i>	<i>T. montanum.</i>
<i>Plantago media.</i>	<i>Triticum repens.</i>
<i>Poa trivialis.</i>	<i>Veronica spicata.</i>
<i>Polygala comosa.</i>	<i>Vicia Cracca.</i>
<i>Potentilla opaca.</i>	<i>V. tetrasperma.</i>
<i>P. alba.</i>	<i>V. villosa.</i>
<i>P. canescens.</i>	<i>Viola hirta.</i>
<i>P. reptans.</i>	<i>V. odorata.</i>
<i>Rhamnus cathartica.</i>	<i>Viscaria vulgaris.</i>

Denique in declivi boreali montis „Hohe Eule“ locum notamus, qui 2700—2800' altus plantas exhibit praecipue tantum in planicie obvenientes: sunt enim quattuor species e genere Junco, *Juncus articulatus*, *J. bufonius*, *J. conglomeratus*. *J. effusus* L. Non autem insolitum atque rarum est, ut in hoc declivi magna arenae copia deprehendatur, per quam via partim a Kaschbach ad montis „Hohe Eule“ cacumen ducit,

cujus in marginibus aliquid editis copiosissime quoque *Polytrichum aloides* et plures e *Cladonia* genere species, *Baeomyces roseus*, *Sphyridium fungiforme* cet. proveniunt. Locus autem, ubi illi *Junci* inveniuntur et ipse arenam habet, quae rigatur parvulo de monte „hohe Eule“ descendente rivulo: quo fit, ut etiam in hac altitudine vegetationis forma humidae arenae offeratur, quae res, quum satis raro obveniat opera pretium fuerit, hoc loco commemorare.

T h e s e s .

- 1) *Asplenium Serpentini* Tausch non est varietas vel subspecies *Asplenii Adianti nigri* L., sed ipsa species.
- 2) *Dianthus Wimmeri* Wichura non est vera species sed tantum varietas *Dianthi superbi* L.
- 3) In commentationibus botanico-geographicis magis quam fieri solet plantarum cryptogamicarum rationem esse habendam judico.
- 4) Plus temporis rebus, quae pertinent ad naturae cognitionem, in gymnasiis tribuendum esse censeo.

Vita.

Natus sum Richard Sadebeck die XX. mens. Maj. anno h. s. XXXIX. Vratislaviae, patre Mauritio, matre Emilia e gente Pietsch, quos parentes optimos dilectissimosque vivos veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Litterarum rudimentis imbutus in schola publica subjuncta Magdalenaeo gymnasio hujus urbis, ipsum hoc gymnasium Magdalenaicum, quod directore Schoenbornio maxime floret, per decem fere annos adii. Testimonio maturitatis instructus anno h. s. LIX. litterarum universitatem petii et ab Ill. Friedlieb, illo tempore fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus, apud ill. Grube, gratiosi philosophorum ordinis t. t. decanum, nomen professus sum. Tum novem per semestria me docuerunt Viri Clarissimi, Illustrissimi, Doctissimi:


Botanicen Goeppert, Cohn et Koerber; mineralogiam et geologiam Roemer; zoologiam Grube; chemiam Loewig; physicen Frankenheim; mathematica Joachimsthal n. b. et Schroeter; astronomiam Galle; philosophiam Braniss. Quibus omnibus viris optime de me meritis pro doctrinis mihi oblatis gra-

tias me agere quam maximas, semperque acturum esse profiteor.

Plurima autem deboe viro paeclarissimo Goeppert, qui non solum ad conscribendam hanc commentationem me incitavit et libris ex bibliotheca sua benignissime adjuvit, sed etiam dubitanti maxima cum humanitate summaque cum benevolentia consiliis optimis intra parietes privatos saepissime datis, ubi sit refugium, praebuit; et viro illustrissimo Cohn, qui et idem libris ex bibliotheca sua summa cum liberalitate me juvit, saepius autem consilio errantem et nescium benevolentissime docuit.

Denique facere non possum, quin viro illustrissimo Roemer, qui museum mineralogicum frequentantem semper humanissime tractavit, hoc loco quam maximas agam gratias.





New York Botanical Garden Library

QK 295 .S29

Sadebeck, Richard/De montium inter Vistr

gen



3 5185 00006 1273

